
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

E. B. KOSTER.

STUDIA TRAGICO-HOMERICA.

DAVENTRIAE
APUD JOH. H. W. KREUNEN
MDCCCXCI.

DISSERTATIO LITTERARIA.

DAVENTRIAE — TYP. P. BEITSMA.

STUDIA TRAGICO-HOMERICA.

Specimen Litterarium Inaugurale

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

C. K. HOFFMANN

Phil. Nat. Doct. et in facultate Discipl. Math. et Phys. Prof.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET


EDWARDUS BERNARDUS KOSTER,

LONDINIENSIS.

Die XXIV M. Januarii A. MDCCCXCI hora III.



DAVENTRIAE
APUD JOH. H. W. KREUNEN.
MDCCCXCI.


HARVARD COLLEGE
DEC 20 1909
LIBRARY

PARENTIBUS CARISSIMIS
HAS LITTERARUM CLASSICARUM PRIMITIAS
DEDICAT SCRIPTOR.

Antequam dissertationem ipsam aggredior, iucundo mihi fungendum est officio, ut viris clarissimis doctissimisque, quos mihi in Academia praeceptores habuisse contigit, ex intimo pectore grates agam.

Atque ante alios mihi obversatur imago magni COBETI, senis illius eruditissimi et humanissimi, qui πᾶσι μετέπρεπε et oculis meis mirantibus ἐν θνητοῖσι δαίμων videbatur, „cuius ab ore melle dulcior fluebat oratio" qua me in linguae graecae penetralia introduxit. Litterarum latinarum quidquid scio, magna ex parte me tibi debere fateor, vir clarissime CORNELISSEN, cuius erga me benevolentiam, extra lectiones academicas quoque probatam, semper grato animo recordabor. Te autem, Promotor aestimatissime, clarissime VAN LEEUWEN, quem mihi in Academia litteras graecas tradentem audire non contigit, sed qui me toties adiuvasti „consilioque manuque" atque mihi viam monstrasti in hac dissertatione scribenda, laudibus extollere superfluum est.

Propositum mihi est perquirere qua ratione SOPHOCLES, poeta ille Ὁμηρικώτατος, quem Io Chius — vel quisquis fuit — unicum

Homeri discipulum esse contendebat [1]), in verborum poeticorum usu atque significatione a dictione Homerica differat, quo modo Aeschylus atque Euripides eadem vocabula adhibuerint, denique quid Pindarus, per quem ab Homero ad tragicos fit fere transitus, iisdem vocibus significarit.

His paucis verbis simul rationes reddidi cur post Homerum primo Sophoclem, tum alios tragicos, postremo Pindarum tractaturus sim. Praeterea siquid notatu dignum neque ab argumento alienum visum fuerit, occasione oblata tractabo.

---

[1]) Vid. Vita Soph. sub finem.

DE VOCABULIS SONUM INDICANTIBUS.

Verbi αὐδάω apud HOMERUM nonnisi forma activa legitur, plerumque absolute cum adverbio ἀντίον coniunctam, sensu *alloquendi:* Θ 200, Ψ 482, Ω 333, β 242, δ 648, ε 28.

Obiectum cum accedit, semper est vocabulum ϝέπος, praecedente participio, ut εὐχόμενος ϝέπος ηὔδα K 461, item ὀλοφυρόμενος δ' ἔπος ηὔδα, si Aristarchum sequimur, O 114, 398 ν 109; his tamen tribus locis editores recentiores (Heyne, Knight, Bekker, Christ alii) propter ϝ vocabuli ϝέπος lectionem alteram praeferre solent ὀλοφυρόμενος δὲ προσηύδα. Hinc fortasse coniecerit aliquis in versu K 461 pro verbis και εὐχομενος ϝέπος ηὔδα legendum esse καὶ εὐχόμενός ϝε προσηύδα, quoniam sibi constare solent veteres poetae in talibus locutionibus et verbum αὐδᾶν apud Homerum cum obiecto rei componi non solet nisi accedat obiectum personale, e. g. E 170 ϝέπος τέ μιν ἀντίον ηὔδα.

Attamen erraret qui illam coniecturam proponeret, quam quominus recipiamus obstat versus M 163 καὶ ἀλαστήσας ϝέπος ηὔδα, ubi ϝε προσηύδα legi nequit.

Nonnumquam huic verbo adiungitur adiectivum neutrius generis, ubi subaudiendum est substantivum obiectum internum (αὐδήν) indicans; sic E 786 de Stentore legimus:

ὃς τόσον αὐδήσασχ' ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα.

Ex quo exemplo simul apparet verbum αὐδᾶν etiam *vociferandi* sensu usurpari.

Accusativum pluralem adiectivi, quod adverbii vice fungitur, additum habet δ 505:

τοῦ δὲ Ποσειδάων μεγάλ' ἔκλυεν αὐδήσαντος,

ubi suspicetur fortasse aliquis poetam dedisse Ποσειδάων μ έ γ α ς ἔκλυεν κ.τ λ., quemadmodum B 111 et I 18 dedit

Ζεύς με μέγας Κρονίδης ἄτῃ ἐνέδησε βαρείῃ,

certe si Aristarchea lectio est servanda; sed et illic languere videtur epitheton μέγας, et nostro loco langueret. Quapropter praestat coniectura Ποσειδάων ϝ έ κ α ς ἔκλυεν, at ne haec quidem est accipienda, nam *sonandi* vel *loquendi* verbis etiam alibi additur μεγάλα, e g. A 450 μεγάλ' ηὔχετο, Θ 75 μεγάλ' ἔκτυπε, Λ 425 μεγάλα βρέμει, item Aristoph. Ran. 835 μὴ μεγάλα λίαν λέγε et *magna loqui* apud Latinos (Hor. Sat. I 3, 13 Tibull. II 6, 11). Sequitur tota sententia αὔδα' ὅτι φρονέεις Ξ 195 Σ 426 ε 89 i. e. *eloquere quae sentias*, *cogites*, ut in nota locutione: ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ, ἵνα ϝείδομεν ἄμφω.

Accusativum cum Infinitivo nanciscitur K 47 sq.:

οὐ γάρ πω 'ϝιδόμην οὐδ' ἔκλυον αὐδήσαντος
ἄνδρ' ἕνα τοσσάδε μέρμερ' ἐν' ἤματι μητίσασθαι.

Videmus itaque verbum αὐδᾶν significare *loqui*, *vociferari* et si addatur ἀντίον, *alloqui*

Iam verbum apud Sophoclem consideremus.

Active sumitur sensu *compellandi*, *iubendi* O. C. 864 αὐδῶ σιωπᾶν. Cf. 1630 αὐδᾷ μολεῖν οἱ γῆς ἄνακτα Θησέα.

Ant. 922 sq. (quos spurios ducit Nauckius), verba τίν' αὐδᾶν συμμάχων nihil aliud significare possunt nisi: *quemnam e sociis invocare*, i. e. *cuius auxilium implorare*.

De *oraculi et vatis responso* legitur O. R. 392:

ηὔδας τι τοῖσδ' ἀστοῖσιν ἐκλυτήριον; Cf. 568 Trach. 171.

Proferre, *edere* est O. C. 624 ἀλλ' οὐ γὰρ αὐδᾶν ἡδὺ τἀκίνητ' ἔπη.

Medium apud eundem quoque usitatum est, sensu *iubendi*, Ai. 771 ηὐδᾶτ' ἐπ' ἐχθροῖς χεῖρα φοινίαν τρέπειν.

Dicere autem significat Phil. 130 ποικίλως αὐδωμένου δέχου τὰ συμφέροντα, Cf. 852, nisi h.l. passive sumendum sit. Jebb pro οἶσθα γὰρ ὧν αὐδῶμαι coniecit οἶσθα γὰρ ὃν αἰδοῦμαι.

Passive significat *vocor*, *nominor*, i. q. κέκλημαι: Phil. 240 αὐδῶμαι δὲ παῖς 'Αχιλλέως Νεοπτόλεμος. Ibid. vs. 430 idem est quod εἶναι: χρῆν ἀντὶ τούτων αὐτὸν αὐδᾶσθαι νεκρόν.

Pronuntiari, *edi* indicat O. R. 527:

ηὐδᾶτο μὲν τάδ'· οἶδα δ' οὐ γνώμῃ τίνι. Cf. vs. 731 et 940.

Apud Aeschylum verbum αὐδᾶν legitur sensu *loquendi* Ag. 39 μαθοῦσιν αὐδῶ, Sept. 532, 539.

Edere, *proferre* denotat Prom. 948 ἄνωγέ σ' οὕστινας κομπεῖς γάμους αὐδᾶν. Passive Eum. 380 αὐδᾶται πολύστονος φάτις i. e. *nuntiatur*, Cf. Prom. 766. — Sept. 678 ὅμοιος τῷ κάκιστ' αὐδωμένῳ ubi Schol. τῷ ἀδελφῷ σου τῷ βλασφημουμένῳ. Denique *iubendi* sensum habet Sept. 1042 sq.:

αὐδῶ πόλιν σε μὴ βιάζεσθαι τάδε.
αὐδῶ σε μὴ περισσὰ κηρύσσειν ἐμοί.

Euripides activum habet sensu *edendi* ut κραυγήν, λόγους, ἔπη, φήμην, μομφήν cett. Ion. 885, 893, Andr. 1093, Hec. 195. Cum duplici accusativo extat Hipp. 583 αὐδῶν δεινὰ πρόσπολον κακά.

Dicere significat Phoen. 571 σοὶ τάδ' αὐδῶ Cf. 785 Hel. 1678, Med. 181, Alc. 106, Andr. 1092, Rhes. 755.

Vocare sive *invocare* est Herc. f. 499: ἐγώ σ', ὦ Ζεῦ, αὐδῶ Cf. 1215, Ion. 319, 907.

Postremo *iubendi* sensu usurpatur Ion. 156 αὐδῶ μὴ χρίμπτειν θριγκοῖς. Iph. T. 1226 ἐκποδὼν δ' αὐδῶ πολίταις τοῦδ' ἔχειν μιάσματος. — Medium apud eum non occurrit.

In passivo valet καλεῖσθαι s. εἶναι Phoen. 125 Μυκηναῖος μὲν αὐδᾶται γένος. Nihil nisi *edi* est Med. 174 μύθων αὐδαθέντων δέξαιτ' ὀμφάν.

Apud Pindarum Ol. II 166 (101) *loqui* est, media forma, αὐδάσομαι ἐνόρκιον λόγον.

Activa forma *dicendi* sensu extat Pyth. IV 61 ἅ σε χαίρειν ἐς τρὶς αὐδάσαισα, *ter te salvere iubens*. *Proclamare* significat Ol. I 12 ἀγῶνα φέρτερον αὐδάσομεν.

Αὐδή, eiusdem radicis substantivum, apud Hom., Pind., Aesch., *vocem* seu *sonum* indicat; sic quoque plerumque apud Soph. et Eur., exceptis locis Soph. O. C. 240 ἔργων ἀκόντων ἀΐοντες αὐδάν

Eur. Suppl. 600 τίν' αὐδὰν τάνδε προσφέρεις νέαν; ubi *famam* denotat s. *nuntium*. Iph. T. 976 usurpatur de *oraculi responso* αὐδὴν τρίποδος ἐκ χρυσοῦ λακών.

Apud PINDARUM legitur Nem. IX 4 ματέρι καὶ διδύμοις παίδεσσιν αὐδὰν μανύει (Boeckh. ἀοιδάν, Herm. αὐχάν, Bergk. αἴγλαν), Dissen. explicat „hymnum ordiendum esse significat in honorem Latonae et liberorum."

Transeamus autem ad verbum γέγωνα. De quo verbo epico ita scribit Nauckius Praefat. Odyss. I p. XIII: Codices et grammaticos siquis sequatur, neque γεγωνέω praesens neque γέγωνα perfectum improbabit: ipsos poetas qui consuluerit, neutram formam probam esse intelleget et unum admittet praesens γεγώνω." Procul dubio recte igitur Nauckius — praeeunte editore Britanno Payne Knight — edidit ἐγέγωνον pro ἐγεγώνευν ι 47 μ 370 ρ 161 et ἐγέγωνε(ν) Χ 34 Ψ 425 φ 368. Praeterea ubique pro τε γέγωνε legendum est τ' ἐγέγωνε, quae forma referenda est ad aoristum gnomicum qui dicitur. Extat part. perf. γεγωνώς in versu formulario ἤυσεν δὲ διαπρύσιον Δαναοῖσι γεγωνώς, Θ 227 etc., quibus locis Nauckius adiectivum γεγωνός legendum esse coniecit. Fortasse praeferendum est participium γεγώνων. Sic Inf. γεγωνεῖν legitur Μ 337 et forma antiquior γεγωνέμεν' Θ 223 Λ 6. Vid. Vir. Cl. van Leeuwen in Mnemos. 1889, pag. 231.

Verbum hoc apud HOMERUM est intransitivum; significat *sonum edere*, *ita ut exaudiri possit*[1]), et cum Dat. pers. coniunctum *efficere ut sono edito quis ab altero audiatur*. Dicitur tantum de voce humana. Compluribus locis extat locutio ὅσσον τ' ἐγέγωνε βοήσας ε 400 ζ 294 ι 473 μ 181, praeterea 'γέγωνέ τε πᾶν κατὰ ϝάστυ Ω 703 *per totam urbem alta voce clamavit*, οἰμώξας δὲ θεοῖσι μέγ' ἀθανάτοισ' ἐγέγωνον μ 370; Cf. Θ 227. Uno loco ρ 161 insolitum sensum habet. *narrandi communicandi*, nulla clamandi notione adiecta: Τηλεμάχῳ ἐγέγωνον, at illum locum quin iure confoderit Aristarchus dubium non est, cum praesertim narratio ο 525—534 huic loco contraria sit.

[1]) Sic bene praecipiebat Aristarchus, Vid. Aristonicus in schol. Θ 223: ἡ διπλῆ πρὸς τὸ γεγωνέμεν ὅτι οὐ ψιλῶς ἐστι φωνεῖν ἀλλ' ἀκουστὸν φθέγγεσθαι.



Sophocles hoc verbo nil nisi *loqui* indicat, adiicitque obiectum, ut ex duobus ubi legitur locis patet.

O. C. 213 τέκνον ὤμοι, τί γεγώνω;

Phil. 238 γέγωνέ μοι πᾶν τοῦθ', ὅπως εἰδῶ τίς εἶ.

Videmus etiam Sophoclem accepisse praesens γεγώνειν, quamquam fieri potest ut γεγώνω et γέγωνε Subi. et Imp. sint Perf. γέγωνα vel Aor. ἐγέγωνον.

Apud Aeschylum verbum transitivum γεγωνεῖν in usu est sensu *dicendi, narrandi* Prom. 532 ἄλλου λόγου μέμνησθε, τόνδε δ' οὐδαμῶς καιρὸς γεγωνεῖν Cf. 657, 787, 820; Aor. Inf. 990 προτρέψεταί με Ζεὺς γεγωνῆσαι τάδε. Perfecti γέγωνα legitur Imperat. Prom. 193 πάντ' ἐκκάλυψον καὶ γέγων' ἡμῖν λόγον, cf. 783, nisi potius statuendum sit formam γέγωνε esse Imperativum Praesentis vel Aoristi II.

Praesentis forma inchoativa extat sensu *narrandi* Prom. 627 τί δῆτα μέλλεις μὴ οὐ γεγωνίσκειν τὸ πᾶν, adiectivum γεγωνός occurrit Sept. 443 πέμπει γεγωνὰ Ζηνὶ κυμαίνοντ' ἔπη.

Significatio primaria redit apud Euripidem, nam apud eum *clamorem edere* denotat, sed addito obiecto, formaque praesenti γεγωνεῖν Ion. 696 τάδε τορῶς ἐς οὖς γεγωνήσομεν. — Or. 1220 γέγωνέ τ' εἰς δόμους de qua Imperat. forma cf. supra Aesch. Prom. 193.

Narrare est Rhes. 270 οἷς χρὴ γεγωνεῖν εὐτυχοῦντα ποίμνια. Cf. Hipp. 586. Γεγωνίσκειν legitur El. 809 ὦ γεγωνίσκων λόγους cf. Suppl. 204.

Pindarus formam γεγωνεῖν usurpat eodem sensu quo ὑμνεῖν, *laudibus celebrare* Pyth. IX 3 ἐθέλω Τελεσικράτη Χαρίτεσσι γεγωνεῖν Cf. Ol. II 6 III 9.

'Ενέπω et ἐννέπω. Radix est σεπ, nam ἐννέπω natum est ex ἐνσέπω (cf. Lat. *insece* apud Liv. Andr.). Apud Homerum alterum ν evanuit e formis ἐνέποιμι τ 561 et ἐνέπουσα ω 414.

Construitur τινί τι significatque *narrare, dicere, edere;* e. g. α 1 ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα, vel Β 80 εἰ μέν τις τὸν ὄνειρον 'Αχαιῶν ἄλλος ἐνίσπε Cf. Θ 412 Ω 388 λ 492 ω 414.

Sed et absolute sumitur sensu *loquendi*, πρὸς ἀλλήλους Λ 643 ψ 301.

Posterioris vero aevi homines fugiebat origo huius verbi; e compositione natum esse, inesse praepositionem radici praefixam, aut ignorabant omnino aut non amplius curabant, quemadmodum etiam ἐκαθεζόμην vel ἐξεφρίεμεν (i. e. ἐξ-ε-παρίεμεν, Aristoph. Vesp. 126) usu venerunt. Hinc Tragici et Pindarus verbi compositi ἐννέπω nova composita fingunt ἀπεννέπω *veto* (Aesch. Sept. 1053, Eum. 956, Soph. O. C. 209, Eur. Herc. f. 1295, Heracl. 556, Iph. A. 552, Ion. 1282, Med. 813, Phoen. 1651) προσεννέπω *alloquor* (Pind. Pyth. IV 97, IX 29, Isthm. V (VI) 17), Aesch. Ch. 224, Ag. 110, 241, 1291 [*appello* indicat Aesch. Ag. 162, 323] Soph Ai. 857, Eur. Hipp. 99, 793, Or. 428, Rhes. 389 Fr. 50) ἐξεννέπω *eloquor* (Pind. Ol. VIII, 20 Nem. IV 33). Hinc est etiam quod non evanuit alterum ν, quod tamen servari non debebat si atticae dialecti legibus obnoxium fuisset hoc verbum.

Apud Sophoclem igitur perpetuo scribitur per duo ν. Non legitur autem nisi tempore praesenti, iungiturque cum acc. personae Ai. 764 ὁ μὲν γὰρ αὐτὸν ἐννέπει, *hic enim eum talibus alloquitur.* Accedit notio *iubendi* O. R. 350 quo loco accusativum c. inf. habet adiunctum ἐννέπω σὲ τῷ κηρύγματι — ἐμμένειν. Cf. 1381 O. C. 932.

Aeschylus ab Homeri usu non deflectit (vid. Ag. 247, 409 Ch. 568 Suppl. 204, 603, 930), nisi Ch. 550, ubi de *re* dicitur: ὡς τοὔνειρον ἐννέπει τόδε, *ut hoc somnium ostendit.*

Euripides uno loco *vocandi* sensu adhibet Suppl. 610: δικαίους δαίμονας σύ γ' ἐννέπεις Cf. Herc. f. 270. *Iubere* est Hel. 1356: Ζεὺς — ἐνέπει βᾶτε, σεμναὶ χάριτες Cf. El. 1340.

Apud Pindarum *vocare* denotat c. dupl. acc. Nem. VI 102 (68): τοὺς ἐνέποισιν ἱεροὺς (Bergk. ἱερῶς) Cf. VII 69, Ol. VIII 41: ἔννεπε δ' ἀντίον ὁρμαίνων τέρας εὐθὺς Ἀπόλλων Cf. 82, Nem X 79: ὡς ἤνεπε, var. ἔνεπε, Heynius ἔννεπε. *Edicere*, *iubere* est Nem III 75: φρονεῖν δ' ἐνέπει τὸ παρκείμενον. Cf. Pyth. IX 96.

Ἠπύω in Homericis de hominibus dictum *clamare* significat: ι 399 αὐτὰρ ὁ Κύκλωπας μεγάλ' ἤπυεν. Hinc Mars, qui novem millia hominum clamando superat, βριήπυος vocatur et praeconum epitheton honorificum est ἠπύτα κήρυξ.

Paulo aliter — significat enim *alta voce compellare* — adhibitum est κ 83: ποιμένα ποιμὴν ἠπύει.

De rebus est *sonare*, Ξ 399: ἄνεμος -- περὶ δρυσὶν ὑψικόμοισιν ἠπύει, ρ 271: ἐν δέ τε φόρμιγξ ἠπύει. Rei obiectum non additur.

SOPHOCLES, qui forma ἀπύω utitur, *clamandi* vim prorsus neglexit, usurpatque verbum simplici sensu *dicendi*, *indicandi* Ai. 887: τίς ἄν μοι τὸν ὠμόθυμον ἀπύοι; Schol.: εἴποι.

Idem dictum esto de AESCHYLO, qui item formam doricam adhibet Prom. 593: πόθεν ἐμοῦ σὺ πατρὸς ὄνομ' ἀπύεις; ubi *nominare* est. Propria vi sumitur Sept. 144, ubi tamen vitio deberi videtur, ἀπύουσαι enim productum ibi habet syllabam πυ, quae alias constanter corripi solet; quapropter Seidlerus proposuit ἀΰτοῦσαι. Pers. 124 c. obiecto rei extat: τοῦτ' ἔπος γυναικοπληθὴς ὅμιλος ἀπύων. De equis Sept. 206 e coniectura Lachmanni ἱππικῶν τ' ἄπυον πηδαλίων διὰ στόμα, pro ἀΰπνων, quo loco Blomfieldus et Seidl. proposuerunt ἀγρύπνων; in antistropha est δὴ τότ' ἤρθην φόβῳ.

EURIPIDES cum obiecto rei proprio sensu usurpat Suppl. 800: στεναγμὸν ἀπύσατε. *Invocare* est Tr. 1304: ἰαλέμῳ τοὺς θανόντας ἀπύεις. Cum dat. pers *clamare ad aliquem* notat Bacch. 982: μαινάσιν ἀπύει, *iubere* indicat Rhes. 776, ἤπυσα δ' αὐτοῖς μὴ πελάζεσθαι στρατῷ. *Dicendi* significatione legitur Hec. 155: τί ποτ' ἀπύσω; Cum dupl. acc. Or. 1253: τί δέ με τόδε χρέος ἀπύεις; Notandum est Tragicos hoc verbo non nisi in partibus lyricis uti, excepto loco Eur. Rhes. 776.

Apud PINDARUM significat *provocare* Pyth. X 5: ἀλλά με Πυθώ τε καὶ τὸ Πελινναῖον ἀπύει Ἀλεύα τε παῖδες, sc. ad canendum. *Canere*, *celebrare* est Ol. V 19: ἱκέτας σέθεν ἔρχομαι Λυδίοις ἀπύων ἐν αὐλοῖς. Cf. Pyth. II 19 V 104.

ARISTOPHANES per iocum adhibet Eq. 1023: ἐγὼ μέν εἰμ' ὁ κύων· πρὸ σοῦ γὰρ ἀπύω.

Λακεῖν, inf. aor. II ἔλακον, proprie *sonum stridulum edere* significat. Apud HOMERUM leguntur formae 3 s.: 'λακε, part pf. λεληκώς, fem. λελακυῖα, (Aor. II Med. 3 pl. 'λελάκοντο H. Merc. 145). De rebus inanimis dictum invenitur Ξ 25: 'λάκε δέ σφι

περὶ χροΐ χαλκὸς ἀτειρής, cf. Υ 277: 'λάκε δ' ἀσπίς, *crepabat, resonabat clipeus.* De ossibus N 616: 'λακε δ' ὀστέα.

De bestiis legitur X 141: ὁ δ' ἐγγύθεν (sc. κίρκος) ὀξὺ λεληκώς, cf. H. Merc. 145: οὐδὲ κύνες λελάκοντο. De Scyllae latratu μ 85: ἔνθα δ' ἐνὶ Σκύλλη ναίει δϝεινὸν λελακυῖα.

Primaria significatio, qua sonus indicatur quem percipimus, cum vi discinditur aliquid vel disrumpitur, cognosci potest etiam ex Aristophane, qui praeter formas usitatas utitur futuro λακήσομαι et aoristo I ἐλάκησα. Nubb. 410:

ἡ δ' ἄρ' ἐφυσᾶτ', εἶτ' ἐξαίφνης διαλακήσασα πρὸς αὐτὼ
τὠφθαλμώ μου προσετίλησεν καὶ κατέκαυσεν τὸ πρόσωπον.

Cf. Ach. 426: ποίας ποθ' ἀνὴρ λακίδας αἰτεῖται πέπλων, i. e. *vestes laceratas, pannos*, cf. Aesch. Choeph. 25, Eurip. Fr. 485, 987. Notandum α productum esse in διαλακήσασα. Alia loca Aristophanea: Ach. 610: τί λέληκας (Cf. Hes. Oper. 207: δαιμονίη, τί λέληκας;), Pac. 381, 382, 384; Plut. 39 huc non pertinent, dictionem enim tragicam his locis iocose imitatur comicus. Vid. insuper virum doctissimum van Leeuwen ad Ach. 410.

Multum igitur abest, ut hoc verbum, quod ad raucos sonos altosque clamores designandos inventum est, cuilibet vocis humanae modulationi indicandae apte possit inservire. Attamen tragicis aliter visum est.

Apud Sophoclem nil nisi *vocem edere* denotat: Ant. 1094: ψεῦδος ἐς πόλιν λακεῖν, Trach. 822: τοὔπος τὸ θεοπρόπον ἡμῖν... ὅτ' ἔλακεν, *oraculum quod praedixit.*

Apud Aeschylum etiam praesens λάσκω legitur: Ag. 596: ὀλολυγμὸν . . . κατὰ πτόλιν ἔλασκον, *gemitum ciebant;* ibid. 865: κάκιον ἄλλο πῆμα λάσκοντας δόμοις, *nuntiantes maius aliud malum domui imminens.* Aoristus extat Sept. 154 de rotarum sonitu, Choeph. 35 de nocturno clamore. *Dicere*, *edere* de hominibus Ch. 38, 788; Agam. 614, 1426: περίφρονα δ' ἔλακες. Perfectum λέλακα legitur Prom. 406: πρόπασα δ' ἤδη στονόεν λέλακε χώρα.

Euripides quoque adhibet formam praesentis λάσκω sensu *loquendi:* Rhes. 724: τί λάσκων; cf. Andr. 672: cum duplici acc : τοιαῦτα λάσκεις τοὺς φίλους, El. 1213 βοὰν ἔλασκε, *clamorem*

edidit. Aoristo utitur sensu *lamentandi:* Hel. 186: ἔλακεν αἰάγμασι στένουσα, atque adeo *cantandi* — quod vide quam longe abhorreat ab usu Homerico! — Alc. 347 πρὸς λίβυν λακεῖν αὐλόν. *Dicere* Or. 162: ἄδικα ἔλακεν; Iph. T. 461, Tr. 269, Ion. 777. Perfectum λέλακα occurrit Hec. 678: ζῶσαν λέλακας, sed magis primitiva significatione. Ibid. 1110 λέλακ' ἀνὰ στρατὸν ἀχώ; Hipp. 55: πολὺς .... προσπόλων .... κῶμος λέλακεν.

Apud Pindarum non legitur.

Restat ut quaedam dicam de substantivis nonnullis, quae huc pertinent. Quorum primum esto μολπή. Derivatur a verbo μέλπω quod legitur apud Homerum A 474: μέλποντες ϝεκάϝεργον· ὁ δὲ φρένα 'τέρπετ' ἀκούων. Quem locum ab Aristarcho reiectum esse refert Aristonicus in scholio: ὅτι νομίσας τις τὸν 'Απόλλωνα Παιήονα εἰρῆσθαι προσέθηκεν αὐτόν. καὶ γίνεται δισσολογία· προείρηκε γὰρ „οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο."

Significare autem videtur hoc loco *cantu et saltu celebrare.* Medium legitur Σ 604: μετὰ δέ σφιν ἐμέλπετο θεῖος ἀοιδὸς φορμίζων cf. δ 17, ν 27 ubi *fidibus canere* denotat.

Σ 604 sq. μετὰ δέ σφιν — φορμίζων aberant a textu Aristarcheo, in omnibus codicibus desunt, Wolfius demum hunc locum in textum inseruit ex Athenaeo (V p. 181 *d*), ubi „delevisse" ea verba dicitur Aristarchus: quae quam levis sit fabella apparet, si conferimus δ 17 sq., nam illo loco „de suo inseruisse" eadem illa verba cum vicinis dicitur Aristarchus ab Athenaeo l. l. — Hos igitur locos si mittimus, restat in textu Homerico unus versus ν 27, ubi Friedländer coniecit Aristarchum legisse ἐδαίνυντο vel tale quiddam. (Friedl. ad Aristonicum A 474).

Π 182 ἠράσατ' ὀφθαλμοῖσι ϝιδὼν μετὰ μελπομένῃσιν ἐν χόρῳ, ubi paraphrasta: ἰδὼν ἐν ταῖς ᾀδούσαις ἐν τῷ χόρῳ, est enim *canere inter saltandum.* H 241 ϝοῖδα δ' ἐνὶ σταδίῃ δηίῳ μέλπεσθαι Ἄρηι, ibi Schol. AD: τὸ δὲ μέλπεσθαι κυρίως μὲν παίζειν ἢ τέρπεσθαι, νῦν δὲ οἷον κινεῖσθαι εὐχερῶς καὶ ἐμπείρως κατὰ τὴν μάχην. BL: ὄρχησις γὰρ καὶ παιδιὰ γενναίων ὁ πόλεμος πολλὴν δὲ εὐχέρειαν τῶν δεινῶν ἐμφαίνει Sed μέλπεσθαι non est *ludere* sed *saltare*, quare μέλπεσθαι Ἄρηι significat ***Martem saltatione celebrare***, ***Martem***

saltare, δεινὰς illas πυρρίχας peragere quas describit Eur. Andr. 1131 sqq. Num hoc loco legi posset δήιον μέλπεσθαι Ἄρηα?

Substantivum τὰ μέλπηθρα, quod significat *ludibrium*, legitur N 233 αὖθι κυνῶν μέλπηθρα γένοιτο, ubi schol.: κυνῶν μέλπηθρα· ἐμπαίγματα, παίγνια, μετὰ κόρον γὰρ σφαιρίζουσι τὰς σάρκας καὶ διαρρίπτουσιν οἱ κύνες. Cf. P. 255, Σ 179. Nauckius vero ἕλκηθρα corrigendum censet collato Eur. Herc. 568, cf. O 351: ἀλλὰ κύνες ϝερύουσι πρὸ ϝάστεος ἡμετέροιο. Cf. X 67.

Apud Sophoclem verbum non extat, apud Aeschylum vero usurpatur sensu *canendi*, idque forma activa Ag. 1445 τὸν ὕστατον μέλψασα θανάσιμον γόον. Cf. 244.

Euripides prisca vi adhibet Troad. 554: Ἄρτεμιν ἐμελπόμαν χοροῖσι, *canere* tamen est locis plerisque: act. forma Tr. 339: μέλπετ' ἐμὸν γάμον i. e. *cantu celebrate.* Ibid. 407, Bacch. 155, Cycl. 70, 660, Ion. 906, Iph. T. 221, Alc. 448; media forma Phoen. 794, Andr. 1039.

Resonare facio est Ion. 881: ὦ τᾶς ἑπταφθόγγου μέλπων κιθάρας ἐνοπάν. Cf. Tr. 547, Med. 149. *Resonare* Iph. T. 429: χοροὶ μέλπουσιν ἐγκυκλίοις . . . πνοαῖς.

Apud Pindarum *cantare* ut Pyth. III 90: μελπογενᾶν ἐν ὄρει Μοισᾶν. Nem. I 20: ἔσταν . . . καλὰ μελπόμενος. *Cantu celebrare* denotat Pyth. III 78: ματρί, τὰν κοῦραι μέλπονται; fr. 75 (45), 11: γόνον . . . μελπέμεν (Sic. Boeckh., libri: μέλπε v. μέλπομεν).

Μολπή sensu generali est *lusus* α 151 seqq.:

> μνηστῆρες τοῖσιν μὲν ἐνὶ φρεσὶν ἄλλα 'μεμήλει
> μολπή τ' ὀρχηστύς τε· τὰ γάρ τ' ἀναθήματα δαιτός.

cf. ζ 101, Σ 572. A 472 intellegitur *cantus et saltatio:* μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο, nam quem alium lusum agere possent ad deum placandum? An talis ludebant vel pila? δ 17 seqq.:

> μετὰ δέ σφιν ἐμέλπετο θεῖος ἀοιδὸς
> φορμίζων· δοιὼ δὲ κυβιστητῆρε κατ' αὐτοὺς
> μολπῆς ἐξάρχοντος ἐδίνευον κατὰ μέσσους.

Cf. Σ 606, ubi Mss. cum Aristarcho ἐξάρχοντες. Qua in quaestione nonnihil valet hoc argumentum, quo Aristarchi lectio commendatur, quod genitivus absolutus subiecto carens perraro

invenitur in Homericis; cf. Λ 458: αἷμα δέ ϝοι σπασθέντος ἀνέσσυτο: Zenodot.: οὗ, Ribbeck: τοῦ. Si legimus igitur ἐξάρχοντος, subaudiendum est ἀοιδοῦ significatque μολπή *fidium lusus;* sin ἐξάρχοντες, indicat *lusum saltusque circulatorum.* Perperam paraphr.: δύο δὲ ὀρχησταὶ ἐπ' αὐτοὺς τῆς ᾠδῆς ἀρχὴν ποιούμενοι. *Cantum s. vocis, s. fidium* denotare potest N 636 sq.:

πάντων μὲν κόρος ἐστὶ, καὶ ὕπνου καὶ φιλότητος
μολπῆς τε γλυκερῆς καὶ ἀμύμονος ὀρχηθμοῖο.

Cf. ψ 145; sed nihil impedit, quominus hic quoque *lusum* vertamus.

Quidquid id est, hoc quidem certum est, μολπήν vocabulum in Homericis nonnisi *hominibus* tribui. Apud Sophoclem vero de *fistulae sono* usurpatur Phil. 212: οὐ μολπὰν σύριγγος ἔχων. De citharae aliusve instrumenti sono apud Homerum legitur βοή, ut Σ 495, καναχή Hymn. Ap. 185; cf. Soph. Trach. 642. Sed etiam αὐδή, *vox humana* igitur, uno certe loco (φ 411) tribuitur nervo arcus. Apud Aeschylum μολπή non nisi *cantum* denotat: Ag. 106: θεόθεν καταπνείει πειθὼ μολπᾶν ἀλκὰν σύμφυτος αἰών. Eum. 1043, 1047: ὀλολύξατε νῦν ἐπὶ μολπαῖς.

Euripides adhibet plerumque sensu *cantus.* Alc. 455: τοίαν ἔλιπες θανοῦσα μολπὰν μελέων ἀοιδοῖς, ubi praetulerim μελέαν. cf. 590. Iph. T. 145, 184, 1093; Tr. 149, Herc. f. 349., Hec. 719, Med. 200, Suppl. 773. Sed Heracl. 780 intellegi debet de *pedum tripudio:* νέων τ' ἀοιδαὶ χορῶν τε μολπαί. Herc. f. 684 de *lyrae sonitu* παρὰ χέλυος ἑπτατόνου μολπάν.

Apud Pindarum semper de *cantu* usurpatur: Ol. I 105 ἐμὲ δὲ στεφανῶσαι κεῖνον ἱππίῳ νόμῳ Αἰοληΐδι μολπᾷ χρή. Cf. X 84, VI 97, fr. 132 (97), 4.

'Ομφή apud Homerum indicat *vocem divinitus emissam*, *divinum praesagium:* B 41: θείη δέ μιν ἀμφέχυτ' ὀμφή, ubi Schol.: ὅτι ὀμφὴ ἡ θεία κληδών, οὐ πᾶσα φήμη· διὸ καὶ ὁ Ζεὺς πανομφαῖος, ὁ κληδόνιος. 'Ομφὴ δὲ ἡ τὸ ὂν φαίνουσα (!). λέγει δὲ ὅτι ἔναυλον εἶχε τὴν τοῦ ὀνείρου φωνήν· ἐμφαντικὸν δὲ τὸ ἀμφέχυτο πρὸς τὸ μηδὲν αὐτῆς ἐπιλελῆσθαι αὐτόν. Ζεὺς πανομφαῖος memoratur Θ 250. Praeterea legitur ὀμφή Υ 129, γ 214, π 95.

SOPHOCLES hoc vocabulum non solum de *divino oraculo* (O. C. 102: κατ' ὀμφὰς τὰς 'Απόλλωνος) sed etiam de *voce humana* usurpat, vid. O. C. 550:

καὶ μὴν ἄναξ ὅδ' ἡμὶν Αἰγέως γόνος
Θησεὺς κατ' ὀμφὴν σὴν ἐφ' ἀστάλη πάρα cf. 1351.

AESCHYLUS uno loco habet Suppl. 808 *vocis* sensu: ἴυζε δ' ὀμφάν. Apud EURIPIDEM duobis locis legitur, altero significatione epica, Ion. 908: ὅς ὀμφὰν κληροῖς πρὸς χρυσέους θάκους καὶ γαίας μεσσήρεις ἕδρας, εἰς οὓς αὐδὰν καρύξω. Altero vero loco a sermone homerico discedit poeta, Med. 175: πῶς μύθων αὐδαθέντων δέξαιτ' ὀμφάν;

Apud PINDARUM legitur sensu *vocis*: Nem. X 34: ἀδεῖαί γε μὲν ἀμβολάδαν ἐν τελεταῖς δὶς 'Αθαναίων νιν ὀμφαὶ κώμασαν. Cf. fr. 75 (45), 19, fr. 152 (266).

Φάτις apud Hom. nil nisi *sermonem s. rumorem* indicat, i. q. φήμη: φ 323:

ἀλλ' αἰσχυνόμενοι φάτιν ἀνδρῶν ἠδὲ γυναικῶν, cf. ψ 362. De *bona fama* ξ 29: ἐκ γάρ τοι τούτων φάτις ἀνθρώπους ἀναβαίνει ἐσθλή. De *mala fama*: I 460:

ἀλλά τις ἀθανάτων 'τρέψε φρένας, ὅς μ' ἐνὶ θυμῷ
δήμου ἔθηκε φάτιν καὶ ὀνείδεα πόλλ' ἀνθρώπων,

ubi per δήμου φάτιν intelligitur *mala fama apud populum*, sed verti quoque potest *rumores s. sermones popularium*, ut Catulliani illi „rumores senum severiorum". Ceterum I 458—461 a contextu alieni videntur; in codicibus non extant sed citantur Plut. Mor. 26 f.

Apud SOPHOCLEM idem significat (O. R. 495 τὰν ἐπίδαμον φάτιν Οἰδιπόδα Cf. 715, Ant. 700, 828, Ai. 187, 193, 978) sed usurpatur quoque non solum de rumore qui populum vel urbem percurrit sive de hominum sermone, sed etiam de alicuius *dicto s. eloquio*, ut El. 329: τίν' αὖ σὺ τήνδε φωνεῖς φάτιν; cf. 1213; Phil. 1045. — Tum denotat *vaticinium et oraculum*. O. R. 151: ὦ Διὸς ἁδυεπὲς φάτι Cf. 310, 323, 1440. *Nuntium* indicat Ai. 826: κακὴν φάτιν Τεύκρῳ φέροντα; cf. 850; El. 56. Uno loco res, quae aliis narrari potest (ut nonnumquam λόγος): Trach. 693 sq.:

εἴσω δ' ἀποστείχουσα δέρκομαι φάτιν
ἄφραστον, ἀξύμβλητον ἀνθρώπῳ μαθεῖν.

Hoc tamen loco Nauckius scribit: φάσμα δέρκομαι.

Aeschylus eandem vim atque Sophocles vocabulo tribuit, *dictum* enim sive *sermo* est Sept. 841; Pers 227, 521; Ag. 456, 611, 1132; Eum. 380, *fama, rumor* Ag. 9, 276, 631, 868; Ch. 736, 839; Suppl. 294.

Appellationem indicat fr. 5: ἡ καὶ Παλικῶν εὐλόγως μένει φάτις. *Linguam* denotat Ag. 1254: καὶ μὴν ἄγαν γ' Ἕλλην' ἐπίσταμαι φάτιν.

Apud Euripidem *rumor* est: Hipp. 130, 579; Andr. 79; Iph. A. 795; Hel. 259, 1207; Ion. 225, 508. *Vaticinium, praesagium* Phoen. 23; Suppl. 834. *Narratio* Hel. 662: πικρὰν δ' ἐρευνᾷς φάτιν. *Nomen* Ion. 1325: ἡ φάτις δ' οὔ μοι πικρά. *Fama* Archel. fr. XI 2 εὐκλεᾶ ἔχων φάτιν.

Pindarus tantum *sermonis* s. *famae* sensu utitur: Ol. I 29: ἦ θαύματα πολλὰ καὶ πού τι καὶ βροτῶν φάτιν (Codd. vett: φάτις) ὑπὲρ τὸν ἀλαθῆ λόγον, Pyth. I 96: ἐχθρὰ Φάλαριν κατέχει παντᾷ φάτις. De viris, quarum inter homines memoria est, Pyth. III 112: Νέστορα καὶ Σαρπηδόν', ἀνθρώπων φάτις (acc. plur.) ἐξ ἐπέων κελαδεννῶν γινώσκομεν.

Addo nonnulla de adiectivo ἀλλόθροος, quod apud Homerum significat *aliquem alia lingua utentem*. Et. M: παρὰ τὸ ἄλλος καὶ τὸ θροῦς· ἀλλόθρους γάρ ἐστιν ὁ ἀλλοτρίων φωνὴν ἔχων ἤγουν ὁ βάρβαρος. Est igitur idem quod βαρβαρόφωνος (B 867) vel ἀγριόφωνος (θ 294). Legitur ἀλλοθρόους ἀνθρώπους α 183, γ 302, ο 453, ξ 43; gen. plur. ('πλάζετ' ἐπ' ἀλλοθρόων ἀνδρῶν δῆμόν τε πόλιν τε. Significantur omnibus his locis alius civitatis homines, terras remotas habitantes, alia lingua utentes.

Sophocles simpliciter usurpat pro alieno, velutsi idem sit quod ἀλλότριος, Phil. 540: ἄνδρε γὰρ δύο, ὁ μὲν νεὼς σῆς ναυβάτης, ὁ δ' ἀλλόθρους χωρεῖτον, ubi ἀλλόθρους indicat *non ex nostrorum numero*. De *re* Trach. 844: τὰ δ' ἀπ' ἀλλόθρου γνώμας μολόντα, i. e. proprie *id quod ex alieno consilio venit* sc. ex Nessi centauri sententia exortum.

Aeschylus de *re* usurpat, sensu *peregrinus*, Ag. 1200: ἀλλόθρουν πόλιν. De hominibus Suppl. 973: πᾶς τις ἐπειπεῖν ψόγον ἀλλοθρόοις εὔτυκος.

Apud Eur. et Pind. non legitur.

In transitu notandum subst. θρόος, quod in scriptoribus pedestribus *murmurationem*, *fremitum*, *rumorem* significat occurrere Δ 437:

οὐ γὰρ πάντων ἦεν ὁμὸς θρόος οὐδ' ἴα γῆρυς
ἀλλὰ γλῶσσ' ἐμέμικτο, πολύκλητοι δ' ἔσαν ἄνδρες,

unde patet θρόος denotare *linguam*, *dialectum*, id quod Schol. L. quoque innuere videtur: εἰκότως τὸ βάρβαρον θορυβεῖ μᾶλλον, ἑτερόγλωσσον ὄν.

Non legitur apud Soph., neque apud Aeschyl. et Eur., sed Pindarus habet sensu *soni* Nem. VII 81: πολύφατον θρόον ὕμνων δόνει ἀσυχᾷ.

Verba θρέομαι et θροέω in Homeri carminibus non extant, sed Sophocles verbo θροεῖν multis utitur locis, idque non nisi praesenti et aoristo. Sensum habet *loquendi*, e. g. Ai. 592: πόλλ' ἄγαν ἤδη θροεῖς. Cf. 705, 864, 946. O. C. 597 πᾶς τοῦτό γ' Ἑλλήνων θροεῖ, *haec omnium Graecorum sermone celebrantur. Clamare* est Phil. 208: διάσημα γὰρ θροεῖ, *exclamare* El. 1409: ἰδοὺ μάλ' αὖ θροεῖ τις.

Utrumque autem verbum legitur apud Aeschylum: Sept. 78: θρέομαι φοβερὰ μεγάλ' ἄχη i. e. *clamo;* cf. Ag. 1165 μινυρὰ θρεομένας, Ch. 970, Suppl. 112. — Prom. 608 θρόει, φράζε τᾷ δυσπλάνῳ παρθένῳ, i. e. *vocem ede, loquere* Cf. Ag. 103, 1137, 1141, Ch. 828. Media forma invenitur Eum. 510 τοῦτ' ἔπος θροούμενος.

Euripides habet verbum θρέομαι Med. 51: αὐτὴ θρεομένη σαυτῇ κακά, cf. Hipp. 363. Θροέω extat Or. 187 θρόει, τίς κακῶν τελευτὰ μένει; Cf. 1248 τίνα θροεῖς αὐδάν; Hipp. 571, Tr. 1239. *Dicere* indicat Or. 1265 ἔχομεν, ὡς θροεῖς. Cf. Phoen. 1350, Hipp. 212, Rhes. 12, 38, 454, Tr. 143, 1345, Ion. 784.

Apud Pindarum haec verba non occurrunt.

Tractanda supersunt alia vocabula quaedam, quae licet minus huc pertineant, tamen apte hoc loco recipi possunt, qualia sunt αἰνῶ, αἶνος, ἀράομαι, ἀρά, λίσσομαι, λιταί. Nam cum quis laudat precaturve, admirationem suam vel supplicationem voce exprimere solet. Aliis verbis duobus cognatis, quae *precandi* sensu

usurpantur, ἀντιάζω et ἄντομαι, infra inter verba *eundi* suum locum assignavi.

Αἰνῶ apud HOMERUM est *laudare*, K 249:

Τυδεΐδη, μήτ' ἄρ με μάλ' αἴνεε μήτε τι νείκει, Cf. Ψ 252, Ω 30.

Comprobare significat Θ 9, ubi Zeus aliis diis deabusque dicit:

μήτε τις οὖν θήλεια θεὸς τό γε μήτε τις ἄρσην
πειράετω διακέρσαι ἐμὸν ϝέπος, ἀλλ' ἅμα πάντες
αἰνέετ'. Cf. π 380, 403.

Eodem sensu SOPHOCLES hoc verbo utitur Phil. 451, 889; Ant. 1157, Ai. 526, Creus. fr. 325. Ex comprobandi autem significatu profluxit notio *suadendi* ut Phil. 1380: ὦ δεινὸν αἶνον αἰνέσας. Tum *polliceri* indicat Phil. 1398:

ἃ δ' ᾐνέσας μοι δεξιᾶς ἐμῆς θιγών,
πέμπειν πρὸς οἴκους, ταῦτά μοι πρᾶξον τέκνον.

Denique idem est quod παραιτεῖσθαι, *deprecando aliquid recusare*, Lat. *laudo*, nos „dank u". Cf. Hes. Op. 645, Virg. Georg. II 412. Hesych. Αἰνῶ: παρίημι, παραιτοῦμαι. καὶ ἐπαινῶ Σ. 'Αλκμέωνι in Bekkeri Anecd. p. 358, 28 Αἰνῶ: παραιτοῦμαι. Σοφοκλῆς. καὶ ἐπαινῶ. Suid.: αἰνῶ, παραιτοῦμαι, Σοφ. Vid. insuper Xenoph. Symp. I 7 ἐπαινοῦντες τὴν κλῆσιν, quod nos dicimus: „voor de uitnoodiging bedanken". Ar. Ran. 508 ΘΕΡΑΠΑΙΝΑ: ἀλλ' εἴσιθι. ΞΑΝΘΙΑΣ: κάλλιστ', ἐπαινῶ, ubi Casaub.: „est blande recusandi formula, qua oblato beneficio non utentes gratias agunt." Sic Latin praeter *laudo* utuntur voc. *benigne* (Hor. Ep. I, 17, 16, 62,) *tam gratia est* (Plaut. Stich. 3, 2, 17). Plut. Mor. 22 F. τῷ ἐπαινεῖν ἀντὶ τοῦ παραιτεῖσθαι νῦν κέχρηται, καθάπερ ἐν τῇ συνηθείᾳ καλῶς φαμεν ἔχειν, ὅταν μὴ δεώμεθα μηδὲ λαμβάνωμεν. — Notandum insuper videtur Phil. 1380 αἰνῶ a nonnullis explicari *commemorare* s. *proferre* et αἶνος *dictum*, ita ut ὦ δεινὸν αἶνον αἰνέσας esset: *o intolerandi dicti auctor.*

Apud AESCHYLUM plerumque *laudare* significat (Ag. 917 Cf. 1403 σὺ δ' αἰνεῖν εἴτε με ψέγειν θέλεις Ch. 78, 1014; Eum. 529, 737, 1021; Suppl. 710, fragm. 304).

Probare est Eum. 469: πανταχῇ τάδ' αἰνέσω Suppl. 902, 1071. Pers. 642: δαίμονα μεγαυχῆ ἰόντ' αἰνέσατ' ἐκ δόμων i. e. *sinite*

eum e domo exire, propr. *comprobate*, *assentimini eum exire*, nos „vindt 't goed dat hij..." (στέργειν, ἀγαπᾶν). — Sed et *suadendi iubendique* sensum habet Ch. 55: αἰνῶ δὲ κρύπτειν τάσδε συνθήκας ἐμάς Cf. 715, fr. 322.

Simpliciter *dicere* denotat Ag. 1482: ἦ μέγαν οἴκοις τοῖσδε δαίμονα καὶ βαρύμηνιν αἰνεῖς Cf. 98, Ch. 192.

EURIPIDES quoque sensu primitivo *laudandi* et *comprobandi* adhibet Or. 498: οὐ γὰρ αἰνέσω ποτέ (scil. αἴσχιστον ἔργον) Cf. 519, 784; Med. 908, Phoen. 1677, Hipp. 483, Iph. A. 506, 655. Ibid. 979 sq.: αἰνούμενοι γὰρ ἀγαθοὶ τρόπον τινὰ
μισοῦσι τοὺς αἰνοῦντας, ἢν αἰνῶσ' ἄγαν.

Inde quoque significat *in aliqua re acquiescere* („genoegen nemen met iets") ut initio Alcestidis:

Ὦ δώματ' Ἀδμήτει', ἐν οἷς ἔτλην ἐγὼ
θῆσσαν τράπεζαν αἰνέσαι θεός περ ὤν.

Polliceri est Alc. 12: ᾔνεσαν δέ μοι θεαὶ Ἄδμητον ᾅδην τὸν παραυτίκ' ἐκφυγεῖν. Or. 1658: Πυλάδῃ δ' ἀδελφῆς λέκτρον, ᾧ ποτ' ᾔνεσας δός. Nauckius coniecit ὡς κατῄνεσας, malim ὥς ποτ' ᾔνεσας.

Apud PINDARUM unum sensum *laudandi* vel *comprobandi* obtinet Ol. IV 12, Pyth. I 43, Nem III 29, Isthm. VII 69 (VIII 76). — Nem. I 72, Pyth. IV 140, Isthm. VI (VII) 32.

Nunc videamus de substantivo αἶνος. Quod apud HOMERUM indicat *laudem* vel *orationem* in alicuius laudem habitam Ψ 652: ᾤχετ' ἐπεὶ πάντ' αἶνον ἐπέκλυε Νηλεΐδαο Cf. 795.

SOPHOCLES sic habet O. C. 709: ἄλλον δ' αἶνον ἔχω ματροπόλει τᾷδε κράτιστον — εἰπεῖν. Iterum legitur Phil. 1380: ὦ δεινὸν αἶνον αἰνέσας, ubi fortasse *dictum* significat, vid. supra in verbo αἰνεῖν. Aliis potius *consilium* hoc loco valere videtur, ut vertendum sit: *o tu qui mihi tam grave consilium dedisti.*

Ergo non reperitur — hodie certe — in Sophocleïs exemplum dictionis recentioris, quam uno Homeri loco agnoscere cogimur nisi admodum contorte eum interpretari velimus, ξ 508:

ὦ γέρον, αἶνος μέν τοι ἀμύμων, ὃν κατέλεξας,

hic enim non de *laudibus* sed de lepida quae praecedit *narratiuncula* usurpatur vocabulum αἶνος. Qua de significatione (*fa-*

bula ethica, hodie „parabel") ex Hesiodi Oper. 212, Archilochi fr. 82 apud Bergkium, aliis cognita, exquisitae doctrinae nota extat apud Ammonium de Differentia in voce (= Etym. Gud. in voce); quem locum licet longiorem non abstineo manus quin excribam:

Αἶνος καὶ Παροιμία διαφέρει. ὁ μὲν γὰρ Αἶνός ἐστι λόγος κατὰ ἀναπόλησιν (leg. ἀνάπλασιν) μυθικὴν, ἀπὸ ἀλόγων ζῴων, ἢ φυτῶν, πρὸς ἀνθρώπους εἰρημένος, ὥς φησι Λούκιος (alii Λούκιλλος) Ταρραῖος ἐν τῷ πρώτῳ Παροιμιῶν (l. περὶ Π.)· οἷον, ἀπὸ μὲν ἀλόγων ζῴων, ὡς παρ' Ἀρχιλόχῳ (v. supra),

Αἶνός τις ἀνθρώπων ὅδε
Ὡς ἄρ' ἀλώπηξ κᾀετὸς
Ξυνωνίην ἔθεντο.

καὶ πάλιν ὅταν λέγῃ,

Ἐρέω τιν' ὑμῖν αἶνον, ὦ Κηρυκίδη,
Ἀχνυμένη σκυτάλη.

εἶτ' ἐπιφέρει,

Πίθηκος ᾔει θηρίων ἀποκριθεὶς
Μοῦνος ἀν' ἐσχατίην.
Τῷδ' ἄρ' ἀλώπηξ κερδαλῆ συνήντετο,
Πυκνὸν ἔχουσα νόον.

Καὶ Ἡσίοδος (Op. 202),

Νῦν δ' αἶνον βασιλεῦσ' ἐρέω νοέουσι καὶ αὐτοῖς·
ὧδ' ἴρηξ προσέειπεν ἀηδόνα ποικιλόδειρον.

ἀπὸ δὲ φυτῶν, ὡς παρὰ Καλλιμάχῳ (fr. 93 Bentl.):

Ἄκουε δὴ τὸν αἶνον. Ἔν κοτε Τμώλῳ
Δάφνην ἐλαίῃ νεῖκος οἱ πάλαι Λυδοὶ
Λέγουσι θέσθαι —

Καὶ ἔστιν ὁ αἶνος ἐξηπλωμένη παροιμία, μετὰ διηγήσεως ἀπαρτίζουσα τὸ νοούμενον, πρὸς παραμυθίαν τε καὶ ὠφέλειαν ἀνθρώπων· παροιμία δὲ, ἢ τὴν ἀπὸ κεφαλαίου ἐπὶ τὸ χεῖρον ἀναφορὰν ἔχει ἐνδέουσαν τοῦ αἴνου, καὶ τὴν ἔξωθεν ἐνδεχομένη μετάβασιν. (Haec postrema intelligi non possunt; melius Eustath. ad Il. Λ p. 796 et Od. ξ p. 556 Ammonii sententiam expressit: καὶ ἔστι, φησὶν,

ὁ αἶνος ἠπλωμένη παροιμία, ἥτις καὶ αὐτὴ ἀποκεφαλαιοῦται μὲν εἰς τινα παραίνεσιν) οἷον,

Μένε βοῦς ποτ' ἐν βοτάνῃ

καὶ

Ἀ κισσὸς μετ' ἀνθεστήρια —

Valcken. Animadv. p. 12: „Differentiam, quam in hac nota tradit Lucillus Tarrhaeus, Erasmo, Grotio, G. I. Vossio probatam, non adeo sollicite veteres videntur observasse. Hi non solum *apologos*, sed et quaevis *breviora* antiquorum *dicta*, primaeve simplicitatis et illibatae sapientiae pulcerrimas reliquias, αἴνους vocaverunt."

Apud Aeschylum αἶνος est *laus* Suppl. 1024: αἶνος δὲ πόλιν τάνδε Πελάσγων ἐχέτω Cf. 534, Ag. 780, 1547.

Narrationem indicat Ag. 1484: φεῦ φεῦ, κακὸν αἶνον ἀτηρᾶς τύχας Cf. supra.

Euripides quoque primario sensu *laudis* adhibet El. 1062: αἶνον ἄξιον φέρει Cf. Hipp. 484, Cycl. 201, sed et *dictum*, *proverbium* est, ut λόγος et μῦθος Aeol. fr. XVIII 1 φεῦ φεῦ, παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει. Cf. Dict. fr. XV 1, Melanipp. fr. XXIII 1. Dan. fr. X 1 sq.: ἦν γάρ τις αἶνος ὡς γυναιξὶ μὲν τέχναι μέλουσι.

Pindarus hac voce semper *laudis* sensu utitur Ol. II 105 (95), VI 12, Nem. I 6, VIII 40.

Cognatum est verbum αἰνίζομαι quod *laudandi* sensu legitur apud Hom. N 374, Ὀθρυονεῦ, περὶ δή σε βροτῶν αἰνίζομ' ἁπάντων, Cf. ϑ 487.

Apte cum αἰνέω — αἰνίζομαι conferri possunt aliae eiusmodi formationes, quales sunt

αἰτέω — αἰτίζω
ὁπλέω — ὁπλίζω
χατέων — χατίζω
ἀκάχημαι — ἀκαχίζω

(Vid. van Leeuwen et Mendes da Costa: Taaleigen der Hom. Ged. ed. II, p. 72, infra).

Tragici non utuntur verbo αἰνίζομαι, apud eos tamen extat verbum post-Homericum, paullo aliter formatum αἰνίσσομαι (ex αἰνίκ-j-ομαι).

Hoc verbum apud SOPHOCLEM reperitur sensu *ambigue loquendi* („in raadselen spreken"), Ai. 1158 enim ironice dicit Teucer: μῶν ἠνιξάμην; i. e. *num parum perspicue locutus sum?* — Derivantur αἴνιγμα (O. R. 393, 1525), αἰνικτήρ (fr. inc. 707), αἰνικτός (O. R. 439).

Apud AESCHYLUM non extat verbum, habet tamen formas inde ductas αἴνιγμα (Prom 610, Ag. 1133, 1113; Ch. 887), αἰνιγματώδης (Suppl. 464), αἰνικτηρίως (Prom. 833, 949).

EURIPIDES verbo αἰνίσσεσθαι utitur eodem sensu quo SOPH., Ion. 430: τί λόγοισιν αἰνίσσεται; Cf. Herc. f. 1120.

Innuere est El. 945 sq.:

ἃ δ' εἰς γυναῖκας, παρθένῳ γὰρ οὐ καλὸν
λέγειν, σιωπῶ, γνωρίμως δ' αἰνίξομαι.

Inveniuntur derivata apud eum αἴνιγμα (saepius in Phoen.) et αἰνιγμός (Phoen. 1362, Rhes. 754).

PINDARUS habet αἰνίσσομαι, Pyth. VIII 39, λόγον φέρεις τὸν ὅνπερ ποτ' Οἰκλέος παῖς ἐν ἑπταπύλοις ἰδὼν υἱοὺς Θήβαις αἰνίξατο, „quum oracula tecte significent verbis ambiguis quae interprete egeant." (Dissen).

'Αράομαι non est verbum poeticum proprie dictum, nam καταρᾶσθαι saepius apud scriptores pedestres legitur, sensu *imprecari*, *execrari*. Verbum simplex tamen non nisi apud poetas et Herodotum occurrit. (Herod. I 132, III 65, quibus locis *imprecari* significat).

HOMERUS semper usurpat sensu *precandi* cum dat. coniunctum, sensu *precando vocandi* cum accus.

A 35: πολλὰ δ' ἔπειτ' ἀπάνευθε κιὼν ἠρᾶθ' ὁ γεραιὸς
'Απόλλωνι ϝάνακτι.

β 135: ἐπεὶ μήτηρ στυγερὰς ἀρήσετ' ἐρινῦς.

Uno loco legitur infinitivi forma insolita ἀρήμεναι, χ 322 [1]).

SOPHOCLES verbo ἀρᾶσθαι sensu *precandi* utitur. Ai 506, θεοῖς ἀρᾶται Cf. O. C. 1445, Trach. 48; deflectit tamen a consuetu-

[1]) V. Cl. van Leeuwen in Mnemos. 1889 p. 211: „Notabilis est forma ἀρήμεναι neque alibi obvia. Quae si ad *aoristum* est referenda, locus vertendus: *saepe opinor precatus es (gij zult dikwijls genoeg gebeden hebben).*

dine Homerica, ubi verbum praebet significatione *execrandi*, *diras imprecandi*, O. C. 952: πικρὰς ἀρὰς ἠρᾶτο. Cf. O. R. 251, Ant. 428.

Apud AESCHYLUM item *imprecari* est. Sept. 633 οἵας ἀρᾶται καὶ κατεύχεται τύχας, Cf. Prom. 912.

EURIPIDES bis habet sensu epico Or. 1138: σοὶ πολλὰ κἀμοὶ κέδν' ἀρώμενοι τυχεῖν, Heracl. 851: ἠράσαθ' Ἥβῃ Ζηνί θ'. Alias est *diras imprecari* Phoen. 67: ἀρὰς ἀρᾶται παισίν Cf. Alc. 717, Hipp. 1168, Med. 607, Rhes. 505.

Apud PINDARUM verbum non occurrit.

Substantivum verbale ἀρή (Att. ἀρά) apud HOMERUM significat *preces* (O 378, δ 767), *execrationem* (I 566), *calamitatem* (M 334, Π 512, β 59, χ 208), apud PINDARUM *preces* denotat. Isthm. V (VI) 43, alias ubique *diras*.

Verbum λίσσομαι in HOMERI carminibus aut dicitur de *hominibus homines obsecrantibus*, aut de *diis deos*, non de hominibus ad deos precantibus. E multis exemplis quae proferri possunt, h. l. tantum citabo A 174, ubi Agamemnon hisce verbis Achillem increpat:

> φεῦγε μάλ', εἴ τοι θυμὸς ἐπέσσυται· οὐδέ σ' ἐγώ γε
> λίσσομαι εἵνεκ' ἐμεῖο μένειν.

Sic A 502 dicitur de Thetide, quae pro filio ad Iovem precatur:

> λισσομένη προσέϝειπε Δία Κρονίωνα ϝάνακτα.

Cf. A. 283, Δ 30, Z 45, I 451, O 660, Φ 71, X 338, β 68, γ 19, δ 347, θ 344, κ 526, λ 35, χ 337.

Unicus locus qui discrepat est I 501, ubi deos παρατροπάουσ' ἄνθρωποι λισσόμενοι, ὅτε κέν τις ὑπερβήῃ καὶ ἁμάρτῃ, sed hic versus mihi supervacaneus videtur et profecto minus languide procedit locus si sententia versu 500 finitur. Fictus est fortasse vs. 501 a quodam qui quasi transitum ad vs. 502, ubi de *Litis* oratio est, desideraret.

Π 46 legitur forma insolita λιτέσθαι (alii λίτεσθαι):

> ἦ γὰρ ἔμελλεν
> ϝοῖ αὐτῷ θάνατόν τε κακὸν καὶ κῆρα λίτεσθαι,

quam tamen vitio deberi certum est, nam *futurum* requiritur post ἔμελλεν et scribendum est igitur λίσεσθαι (Vid v. Leeuwen et Mendes da Costa ad h. l.).

Altero loco Homerico ubi offendit λίτεσθαι, nempe ξ 406:

πρόφρων κεν δὴ ἔπειτα Δία Κρονίωνα λιτοίμην,

recipienda est lectio Harleiani aliorumque codicum Κρονίων' ἀλιτοίμην, nisi totum versum postea insertum esse suspicari licet. Ceterum de forma ἀλίτεσθαι, *peccare in aliquem s. aliquid*, vid. Ω 570: Διὸς δ'ἀλίτωμαι ἐφέτμας, Cf. 586, δ 378, ε 108. — Cum *Dat.* autem legitur hoc verbum T 265: πολλὰ μάλ', ὅσσα διδοῦσιν (scil. οἱ θεοί) ὅ τέ σφ' ἀλίτηται ὀμόσσας, ubi σφ' natum esse videtur e forma σφί. Vulgo editur ὅτι, sed praestat lectio ὅτις (Laurent. D).

Post HOMERUM non amplius observatum est discrimen illud quod supra indicavimus; itaque homo deam (Anchises Venerem) λίσσεται, Hymn. Ven. 185:

καί μιν λισσόμενος ϝέπεα πτερόεντα προσηύδα,

item Hymn. 16 ad Aescul. 5:

καὶ σὺ μὲν οὕτω χαῖρε ϝάναξ· λίτομαι δέ σ' ἀοιδῇ,

Herod. VI 61, ἐλίσσετο τὴν θεὸν ἀπαλλάξαι τῆς δυσμορφίης τὸ παιδίον, Ar. Thesm. 313 sq.: δεχόμεσθα καὶ θεῶν γένος λιτόμεσθα ταῖσδ' ἐπ' εὐχαῖς.

SOPHOCLES verbum λίσσεσθαι adhibet de hominibus inter se Ai. 368, O. R. 640, 1064; Ant. 1230, El. 428, sed de *hominibus deos precantibus* O. C. 1560: Αἰδωνεῦ, λίσσομαι El. 1380: Ἄπολλον — λίσσομαι.

AESCHYLUS Suppl. 748 eodem sensu quo Hom. utitur.

Sed EURIPIDES descivit ab Homerico usu Alc. 252: λίσσου τοὺς κρατοῦντας οἰκτῖραι θεούς, Bacch. 1344: Διόνυσε, λισσόμεσθά σ', ἠδικήκαμεν.

El. 1215 legitur forma derivata λιταίνω primaria significatione:

βοὰν δ' ἔλασκε τάνδε, πρὸς γένυν ἐμὰν
τιθεῖσα χεῖρα· τέκος ἐμόν, λιταίνω.

PINDARUS ab usu Homerico discrepat Ol. XII: λίσσομαι, παῖ Ζηνὸς Ἐλευθερίου, Pyth. I 71: λίσσομαι, νεῦσον Κρονίων, Nem. III 1: ὦ πότνια Μοῖσα, λίσσομαι.

Legitur apud eundem etiam aliud verbum, Homero quoque (I 581, P 414, Ω 357, η 145, κ 481) usitatum, λιτανεύω, scil. Nem. V 32 et VIII 8; apud utrumque autem poetam dicitur de paribus ad pares.

Substantivum verbale λιτή apud Homerum non nisi in nominativo plurali occurrit λ 34:

τοὺς δ' ἐπεὶ εὐχωλῇσι λιτῇσί τε ϝέθνεα νεκρῶν
ἐλλισάμην,

de homine igitur manes invocanti adhibitum.

Λιταὶ illae sive *Preces* inter daemones referuntur I 502 sqq., ubi Iovis filiae vocantur, quae Dementiae culpam expiant.

Apud Sophoclem compluribus locis adhibetur λιταί de *precibus hominum ad deos* Ant. 1019: οὐ δέχονται θυστάδας λιτὰς ἔτι θεοὶ παρ' ἡμῶν, O. C. 1011: τὰς θεὰς καλῶν — λιταῖς, Cf. 1309, 1558.

Sic quoque in Aeschyli tragoediis. Sept. 143: λιταῖσί σε θεοκλύτοις ἀπύουσαι πελαζόμεσθα, Cf. 214, 626. Pers. 499: τότ' ηὔχετο λιταῖσι, Ag. 396, Eum. 362, Suppl. 521.

Apud eundem extat adiectivum λιτανός, *precarius*, Sept. 102, Suppl. 809.

Euripides de *hominum ad deos precatione* exhibet El. 593: ἵει λιτὰς εἰς θεούς Suppl. 24: οὐδὲν ἡμῖν ἤρκεσαν λιταὶ θεῶν Phoen. 1738: ἀμφὶ βωμίους λιτάς. Andr. 539 dicitur de paribus, Menelaus enim his verbis alloquitur Molossum:

τί με προσπίτνεις; ἁλίαν πέτραν
ἢ κῦμα λιταῖς ἴσθ' ἱκετεύων.

De *homine ad deum* occurrit apud Pindarum Ol. II 88: Ζηνὸς ἦτορ λιταῖς ἔπεισε. VIII 8: ἄνεται δὲ πρὸς χάριν εὐσεβείας ἀνδρῶν λιταῖς.

Invenitur quoque apud eum adiect. λιτός, *supplex* Ol. VI 78: λιταῖς θυσίαις (Schol. λιτανευτικαῖς) Pyth. IV 217: λιτάς τ' ἐπαοιδὰς ἐκδιδάσκησεν. Passive fr. 21: λιτὴν δὲ 'Ηῶ i. e. τὴν εὐκταίαν, vel, ut Homerus loquitur, τὴν πολύλλιστον (ε 445) sive τρίλλιστον (Θ 488).

DE VERBIS EUNDI ATQUE MOVENDI.

Verba, quae mihi in hoc capite tractanda proposui, sunt: ἄντομαι vel ἀντιάζω, (ἐγ)χρίμπτω, ἑλελίχθων (ἐλελίζων), κύρω, νέομαι et (προσ)νίσσομαι, πέλω vel πέλομαι cum nominibus ἀμφίπολος, θαλαμήπολος, πρόσπολος, στείχω, τρέω.

De singulis igitur videamus.

Ἄντομαι non nisi praes. et imperf. legitur, idque sensu *occurrendi*, absol. et cum dat. Δ 133: ὅθι διπλόος ἤντετο θώρηξ, Ο 698: ἀλλήλοισιν ἄντεσθ' ἐν πολέμῳ, Cf. Β 595, Θ 412, Λ 237, Π 788, Υ 415, Χ 203.

Sophocles hanc significationem prorsus negligit, adhibetque sensu tralato *obsecrandi* (Cf. Lat. *adire alqm*); iungitur cum Acc. O. C. 250: πρός σ' ὅτι σοι φίλον ἐκ σέθεν ἄντομαι. Absolute sumitur Ibid. 243: πατρὸς ὑπὲρ τοῦ μόνου (δυσμόρου Mein.) ἄντομαι.

Neque apud Aeschylum, neque apud Euripidem legitur, sed uterque habet ἀντάω (Aesch. Suppl. 37, 323; Eur. Iph. A. 149, Fr. 212; Cf. Soph. Ai. 533, Trach. 903, O. C. 1445, Ant. 982 sq.), quod apud Homerum quoque invenitur *occurrendi s. in alqd incidendi* sensu (Δ 375, Η 158, 423; Π 254, 423; γ 44, 97; ρ 44).

Ἄντομαι extat apud Pindarum Pyth. II 70: ἑπτακτύπου φόρμιγγος ἀντόμενος, *obviam factus*, *h. e. amice excipiens*, (Dissen).

Ἀντιάζω sicut ἄντομαι natum est ex praepositione sive adverbio ἀντί, quod primario sensu *contra*, *adversus* indicat, quae significatio optime apparet in ἀπαντᾶν, συναντᾶν, ἀντίος, ἐναντίος, ἐναντιοῦσθαι simm.

Apud Homerum praesentis temporis nonnisi brevior forma ἀντιάω in usu est; cf. βιάζω — βιάω, εἰλυφάζω — εἰλυφάω, σκεπάζω — σκεπάω, quaeque sunt alia huius generis.

Cum *dativo* autem coniunctum verbum ἀντιά(ζ)ω *fortuito occurrendi* notionem habet, e. g., σ 147, μηδ' ἀντιάσειας ἐκείνῳ; Cf. Ζ 127, Φ 151, 431.

Cum *genitivo consulto alicui obviam ire* indicat, e. g. ω 56: παιδὸς τεθνηότος ἀντιάουσα α 25: ἀντιάων ταύρων τε καὶ ἀρνειῶν ἑκατόμβης. Tum magis tralate cum eodem casu coniunctum significat *particeps fio, assequor, fruor*, ut Α 67: κνίσης — ἀντιάσας,

M 356: πόνεισ. Cf. N 290, Q 402, X 27. *Participem esse* item cum *accusativo* denotat A 31: ἱστὸν ἐποιχομένην καὶ ἐμὸν λέχος ἀντιόωσαν.

Absolute legitur K 551, ἀλλά τιν' ὔμμ' οἴω δόμεναι θεὸν ἀντιάσαντα Cf. O. 297, ζ 193, η 293, ν 312.

Sophocles primario sensu non habet; cum gen. est *particeps fio* El. 869: οὔτε του τάφου ἀντιάσας οὔτε γόων. Cum acc. autem est *precari*, ut Latinorum *adire aliquem*, Ai. 492: καί σ' ἀντιάζω πρός τ' ἐφεστίου Διὸς κτλ. Cf. O. R. 191. Accusativus supplendus est El. 1009: ἀλλ' ἀντιάζω — κατάσχες ὀργήν, Cf. Phil. 809.

Aeschylus eodem sensu *precibus adeundi* utitur Ag. 1555: νιν ἀσπασίως — ἀντιάσασα.

Sic Euripides quoque Iph. T. 1053: ἀλλ' ἀντίαζε καὶ λόγους πειστηρίους εὕρισκε, Alc. 400: ἄκουσον, ὦ μᾶτερ, ἀντιάζω, Cf. Andr. 573, Ion. 1119, Suppl. 272.

Apud Pindarum primario sensu *occurrendi* legitur, mira futuri forma, Ol. X 84: χλιδῶσα δὲ μολπὰ πρὸς κάλαμον ἀντιάξει μελέων, *obviam ibit*, *respondebit tibiae* (Dissen), Nem. I 67, Isthm. V (VI) 15 cum dat., Nem. X 20 absol.

Χρίμπτω apud Homerum transitive significat *stringere*, *superficiem alicuius rei obiter atque leviter tangere;* passivum reperitur κ 516 sensu *appropinquandi:* χριμφθεὶς πέλας. Compositum ἐγχρίμπτω active transitivo sensu est *admovere aliquid alicui rei:* Ψ 334: τῷ (i. e. τῷ τέρματι) σὺ μάλ' ἐγχρίμψας ἐλάειν, paraphr. προσεγγίσας, nempe τὸ ἅρμα. Passivum *appropinquare* est Ψ 338: ἐν νύσσῃ δέ τοι ἵππος ἀριστερὸς ἐγχριμφθήτω Cf. E 662, H 277, N 146, P 405.

Sophocles activo ἐγχρίμπτειν intransitive utitur El. 898: μή πού τις ἡμῖν ἐγγὺς ἐγχρίμπτει βροτῶν, transitive tamen occurrit El. 721: ἔχριμπτ' ἀεὶ σύριγγα.

Aeschylus act. trans. adhibet Prom. 713: πόδα χρίμπτουσα ῥαχίαισιν. Passive extat Eum. 185 solito sensu:

οὔτοι δόμοισι τοῖσδε χρίμπτεσθαι πρέπει Cf. Suppl. 790.

Euripides contra χρίμπτειν intrans. usurpat Andr. 530: γούνασι δεσπότου χρίμπτων Ion. 156: αὐδῶ μὴ χρίμπτειν θριγκοῖς. Pass. Phoen. 99, 816; Hel. 533, Rhes. 644, Cycl. 405, Hipp. 218.

Apud PINDARUM legitur passive Pyth. XII 21: ὄφρα τὸν Εὐρυάλας ἐκ καρπαλιμᾶν γενύων χριμφθέντα σὺν ἔντεσι μιμήσαιτ' ἐρικλάγκταν γόον.

Ad verbum sequens diffidenti atque despondenti fere animo accedo; periculum enim esse sentio ne impar sim negotio quod suscepi rite peragendo. Verbum dico ἑλελίζειν. Quod gravissimus auctor iudexque peritissimus Cobetus — criticis Britannis Bentleio, Dawesio, Payne Knightio assensus — in Misc. Crit. pag. 275 sqq. contendit vitio esse natum et παιδίον ὑποβολιμαῖον esse pro forma antiquae nobilitatis ϝελισσέμεν. Omnibus autem locis ubi leguntur ἐλέλιξεν, ἐλέλικτο, ἐλελίχθη simm. substituit formas ἐϝέλιξεν, ϝεϝέλικτο, ἐϝελίχθη

Verbum ϝελισσέμεν igitur duas habuerit significationes oportet, nempe *concutiendi* et *convertendi*, nam A 530: μέγαν δ' ἐϝέλιξεν Ὄλυμπον nihil aliud significare potest nisi, ut Virg. Aen. IX 106 et X 115 vertit: *et totum nutu* TREMEFECIT *Olympum.* Mons enim non μεταστρέφεται, multoque minus ἀνατρέπεται, licet sic accepisse videatur Cic. de Rep. I § 56: *qui nutu*, *ut ait Homerus*, *totum Olympum converteret*, et apud Lucr. II 1096 legitur: *quis potis est coelos omnis convertere* etc.; vid. praeterea Virg. Aen. IV 269: *caelum et terras qui numine torquet* Cf. IX 93: *torquet qui sidera mundi.* Quodsi Juppiter totum Olympum *converteret*, ubi maneret ipse πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε? ubi omnes di deaeque? Mirum quod non omnes caelicolae, qui forte fortuna in Olympo versabantur cum *converteretur*, ab illo inde die claudicarunt cum Vulcano. At suis sodaliumque cruribus atque lacertis metuebat, opinor, deus optimus maximus, neque montem illum e radicibus evellere aut tunc aut postea conatus est; itaque aut ἐϝέλιξεν vertendum erit *concussit*, *tremefecit*, ἔσεισεν ἤτοι ἐκίνησεν, ut est in paraphrasi, aut in hac certe locutione servanda erit lectio tradita ἐλέλιξεν a verbo ἐλελίζειν, cui proprius fuerit sensus *quassandi.*

Sed praeter A 530 duo restant loci qui suspicionem movent; quorum prior est Θ 199:

'σείσατο δ' εἰνὶ θρόνῳ, ἐλέλιξε δὲ μακρὸν Ὄλυμπον.

Desideratur notio *quatiendi*, quae non obtinetur lectione

Cobetiana ἐϝέλιξεν. Hoc loco tamen editores recentissimi Iliadis, viri Cl van Leeuwen et Mendes da Costa ediderunt 'πελέμιξε, collato versu 443 ubi legitur:

τῷ δ' ὑπὸ ποσσὶ μέγας 'πελεμίζετ' Ὄλυμπος.

X 448 dicitur de Andromacha:

τῆς δ'ἐλελίχθη γυῖα, χάμαι δέ ϝοι ἔκπεσε κερκίς, ubi Cobetus legere voluit ἐϝελίχθη, at non *convertendi* requiritur notio, sed *quassandi*, *tremendi* et Schol. bene explicat τρόμῳ ἐσείσθη, necnon paraphrasta ταύτης δὲ διεσείσθη τὰ μέλη. Recepta tamen Herwerdeni coniectura nuper prolata δ' ἐτινάχθη omnia bene sese habent.

Roganti mihi cur in editione sua Vir Cl. van Leeuwen A 530 recepisset formam ἐϝέλιξεν, respondit promotor aestumatissimus lectionem illam sibi quidem minime certam videri, sed nihil aptius succurrere et fide certe non carere ἐϝέλιξεν, confirmari enim versione Latina Ciceronis atque Lucretii.

Ipse cogitavi de lectione: μέγαν δ' ἐτίναξεν 'Ὄλυμπον, sed haec mea coniectura refutari poterat argumento quod τινάσσειν dici solet de rebus quae *manu tenentur*, Cf. M 298, N 243, P 595, Υ 163, X 311, χ 149. Unus tamen est locus ubi ab hac loquendi consuetudine discessum est, nempe χ 88:

ποσὶ δὲ θρόνον ἀμφοτέροισιν
λακτίζων ἐτίναξε,

quare lectio A 530 ἐτίναξεν etiamnunc mihi arridet.

Ceterum legitur Hymn. XXVIII 9 μέγας δ'ἐλελίζετ' Ὄλυμπος, sed hunc locum, quia non est „interioris notae", tuto relinquere possumus, nihil certe eo probatur in hac re.

Omnibus aliis locis autem summo iure Cobetus, auctoritatem Bentleii Dawesiique secutus, formas vitiosas ἐλέλικτο, ἐλελίχθη simm. mutavit in ἐϝέλικτο, ἐϝελίχθη etc., quae formae antiquae etiam optime significationi *convertendi* conveniunt, e. g. citabo versum formularium qui legitur E 497, Z 106, Λ 214, P 343:

οἱ δ' ἐλελίχθησαν καὶ ἐναντίοι ἔσταν 'Αχαιῶν

ubi omnino est legendum ἐϝελίχθησαν, i. e. ἐστράφησαν,

μετεστράφησαν, *„converterunt sese* qui terga dederant et *obversi in hostem steterunt*" Cf. Λ 39, N 558.

B 316: *τὴν δ'ἐλελιξάμενος πτέρυγος 'λάβεν* l. *τὴν δε ϝελιξάμενος*, *se convertens alam pullorum matris arripuit.*

Z 109: *ὡς ἐλέλιχθεν* l. *ὡς ἐϝέλιχθεν*, *se converterunt.*

P 278: *μάλα γάρ σφέας ὦκ' ἐλέλιξεν* l. *ἐϝέλιξεν*, i. e. *celeriter Aiax Graecos fugam captantes sese convertere iussit.* ε 314: *περὶ δὲ σχεδίην ἐλέλιξεν*, l. *ἐϝέλιξεν*, nam sensus est: *fluctus totam ratem subvertit.*

Quale verbum si Homero denegamus, posterioribus tamen poetis inde a Pindaro in usu fuisse negari nequit; vitio natum esse evicit Cobetus, at satis antiquum esse concedamus necesse est.

Ecce enim quae habet Pindarus: Ol. IX 13: *φόρμιγγ' ἐλελίζων* i. e. *pulsans citharam* Cf. Pyth. I 4. *Vibrare* est Nem. IX 19: *Κρονίων ἀστεροπὰν ἐλελίξαις.*

Compositum *ἐλελίχθων*, *terram quatiens* legitur Pyth. II 4: *τετραορίας ἐλελίχθονος* Cf. VI 50.

Quin testis Pindaro antiquior afferri posse videtur; nam Hymn. Cer. 183 legitur:

ἀμφὶ δὲ πέπλος
κυάνεος ῥαδινοῖσι θεᾶς ελελίξετο ποσσίν

et hic certe verbo *ϝελίσσειν* nullum esse locum quovis pignore certem, immo requiritur *fluere*, nos „wapperen", vel ut exprimit in versu divino poeta anglicus John Keats, qui de Hyperione dicit:

„His flaming robes streamed out beyond his heels"

et Jacques Perk noster:

„Tot mij lokt Zefier's wapprend gewaad."

Iam inspiciamus tragicos; inter quos primus adeundus nobis est Sophocles, ille *μάντις ἐσθλῶν ἀγώνων*, qui Ant. 153 habet:

ὁ Θήβας δ' ἐλελίχθων Βάκχιος ἄρχοι

ubi tamen Laur. a manu prima exhibet *ἐλελίζων.*

Schol. ad hunc locum explicat *κινησίχθων*, quare melius erit vulgatam lectionem retinere, nisi scholiastae tempore textus

iam depravatus fuerit, nam aliud etiam scholion est traditum hisce verbis: Θήβας δ' ἐλελίζων. ἔξαρχοι δὲ ὁ Διόνυσος, ὁ τὰς Θήβας ἐλελίζων καὶ κινῶν ταῖς βακχείαις. Tertium scholion haec habet: ἐλελίχθων, ἤγουν ὁ κινῶν διὰ τῶν χορῶν τὰς Θήβας· τοῦτο δὲ ὅμοιόν ἐστι τῷ πολισσοῦχοι χθονὸς (Aesch. Sept. 111), ubi tamen male provocatur ad Aeschylum, apud quem πολισσοῦχος est *urbem tenens* s. *tuens*. Ceterum hodie illic editur πολίοχοι propter metrum, ex Dindorfii emendatione.

Apud Aeschylum autem, in quem iam ultro incidimus, verbum ἐλελίζω non extat.

Euripides duobus locis exhibet hoc verbum, quorum prior est Phoen. 1514: τάλαιν' ὡς ἐλελίζω. Hic si fidem habemus scholio ταραττομένη ἀγωνιῶ reddenti, intransitive sumtum erit dictumque de spasmis, qui homines desperatos ut „mobile lignum" agitant; ita tamen praestaret lectio altera ἐλελίζει, *vae misera, ut cruciaris dolore.* Sed omnino reiicienda est haec interpretatio, qua stulte confunditur sublestae fidei illud verbum ἐλελίζειν *quatere* cum altero verbo homonymo sed minime synonymo ἐλελίζειν i. e. ἐλελεῦ *clamare* (Herod. IV 189, Plut. Thes. 22), quod *lamentandi* sensu h. l. usurpatur, ut alias de flebili lusciniae cantu adhibent poetae, e. g. Eur. Hel. 1118:

ἐλθὲ διὰ ξουθᾶν γενύων ἐλελιζομένα
θρήνοις ἐμοῖς ξυνεργός.

Aristoph. Av. 213:

ἐλελιζομένης δ' ἱεροῖς μέλεσιν
γένυος ξουθῆς.

Proprie tamen non tristes clamores indicat, sed claros et altos, ut ὀλολύζειν et ἀλαλάζειν; vid. Xenoph. Anab. I, 8 § 18.

Pro verbo epico κύρω, quod in Sophocleis nonnisi Oed. Col. 1159 legitur, tragicis in usu est forma contracta κυρῶ (κυρέω), quam iam olim usurpaverant hymnorum epicorum poetae. Etiam futuri aoristique formae antiquae rarae sunt apud tragicos (κύρσω Soph. Oed. C. 225, ἔκυρσα O. C. 247 et 1083 in canticis), satis frequentes vero sunt κυρήσω et ἐκύρησα: Nunc videamus de significatione.

Apud Homerum in Odyssea non occurrit, quatuor locis Iliadis extat significatque *in rem incido* Γ 23: μεγάλῳ ἐπὶ σώματι κύρσας. Imperf. conatus legitur Ψ 821: αἰὲν ἐπ' αὐχένι 'κῦρε — δουρὸς ἀκωκῇ, *perpetuo petebat collum*; Ψ 428: ἅρματι κύρσας (pro quo accuratius vs. 425 συγκύρσειαν), *currui collidere.*

Media forma autem reperitur Ω 530:

ἄλλοτε μέν τε κακῷ ὅ γε κύρεται, ἄλλοτε δ' ἐσθλῷ,

ubi Schol. κακῷ συντυγχάνει, *malam fortunam nanciscitur*, „*infortunium fert*", nos „slecht ontmoet."

Videmus igitur semper coniungi cum Dat. s. cum praep. ἐπί c. Dat., cum Gen. non nisi in hymnis legitur, e.g.:

Ven. 174: εὐποιήτου δὲ μελάθρου 'κῦρε κάρη, Cf. Cer. 189.

Apud Sophoclem usu personali nusquam cum Dativo legitur, nam O. R. 398: γνώμῃ κυρήσας, casus ille non pendet a verbo, sed κυρῶ absolute positum est, significatque: *meo innato ingenio coniiciens*, (scil. Sphingis aenigma).

Eodem modo *coniectura aliquid assequi* denotat El. 663: δάμαρτα τήνδ' ἐπεικάζων κυρῶ; Impersonale tamen cum Dat. coniungitur, sensu *contingit* O. C. 1290: βουλήσομαι κυρεῖν ἐμοί, Cf. Trach. 291.

Ceterum κυρεῖν apud eum ut apud alios quoque tragicos nihil denotat nisi τυγχάνειν, ut El. 849: δειλαία δειλαίων κυρεῖς Cf. O. R. 247, 1083; Ant. 870.

Sic etiam, ita ut τυγχάνειν, cum participiis coniunctum saepissime *rerum statum fortuitum* indicat Ai. 542: χερσὶν εὐθύνων κυρεῖς Cf. 1345, O. R. 258, 594, 985; O. C. 119, 414, 572, 1159, 1308; El. 1176, 1331, 1409; Trach. 386, 399, 406, 413; Phil. 30, 444, 805.

Postremo idem est quod *esse*, *versari*, fortuiti notione haud adiecta O. R. 362: φονέα σε φημὶ τἀνδρὸς οὗ ζητεῖς κυρεῖν, Cf. Ai. 314, 984; O. C. 1703, Ant. 488, Phil. 23, 899; quibus plerisque locis tamen participium suppleri potest.

Apud Aeschylum formam aoristi ἔκυρσα iuxta κυρέω (fut κυρήσω, aor. ἐκύρησα) invenimus, sensu *incidendi*, *nanciscendi*, *consequendi* cum Gen. Ag. 628:

ἔκυρσας ὥστε τοξότης ἄκρος σκοποῦ Cf. Pr. 739, Pers. 779, 1012; Eum. 932.

Prom. 70: ὁρῶ κυροῦντα τόνδε τῶν ἐπαξίων Cf. Sept. 608, Pers. 797, 910; Ch. 707, Eum. 395, Suppl. 799.

Cum. Acc. extat Ch. 214: τί νῦν ἕκατι δαιμόνων κυρῶ; Cf. 714.

Absolute legitur Suppl. 589: καὶ τόνδ' ἂν γένος λέγων ἐξ 'Επάφου κυρήσαις, i. e. *verum assequerere.*

Praeterea *sum* significat Prom. 330:

ζηλῶ σ' ὁθούνεκ' ἐκτὸς αἰτίας κυρεῖς. Cf. Sept. 23.

Sept. 699: κακὸς οὐ κεκλήσει βίον εὖ κυρήσας, quod Schol. explicat εὐτυχήσας, εὖ πράξας, Hermannus autem melius *bene te habens*, *quod ad vitam attinet* i. e. *recte vitam instituens*, Cf. Ag. 1371: τρανῶς 'Ατρείδην εἰδέναι κυροῦντ' ὅπως (sc. ἐπαινεῖν πληθύνομεν), Sept. 401, Pers. 598, Suppl. 57; fragm. 155.

Cum participio Pers. 503: σεσωσμένος κυρεῖ Cf. Ag. 1201.

Item apud EURIPIDEM legitur Aor. ἔκυρσα et forma contracta κυρέω, fut κυρήσω, Aor. ἐκύρησα. Significat *assequor*, *adipiscor*. Med. 1363: μητρὸς ὡς κακῆς ἐκύρσατε, Suppl. 1169: ὧν ἐκύρσατ' ἐξ ἐμοῦ, Cf. Ion. 471, 1105, 1269; El. 289, Andr. 1172, Hec. 689: κακὰ κακῶν κυρεῖ (Cf. supra Hom. 530), Med. 23, El. 288, 359, 554; Ion. 536, Heracl. 253, Iph. T. 759: πολλὰ πολλῶν κυρεῖ.

Abs. Iph. T. 1297: ὅπου κυρήσας (scil. αὐτοῦ, *in eum incidens*) τούσδ' ἀπαγγελεῖς λόγους, Med. 1109: εἰ δὲ κυρήσει δαίμων, *si fors tulerit.*

Cum Dativo sensu *accidendi* legitur,

Rhes. 745: κακὸν κυρεῖν τι Θρῃκίῳ στρατεύματι ἔοικεν
Hec. 215: θανεῖν μοι ξυντυχία κρείσσων ἐκύρησεν

Cum Accusativo *nancisci* denotat Hec. 689: ἐπ' ἀκταῖς νιν κυρῶ θαλασσίαις, Cf. Hipp. 746, Phoen. 493, Rhes. 695, Heracl. 375. *Esse* indicat Phoen. 139, 171: τίς κυρεῖ; Ibid. 1074, Hipp. 1421, Iph. T. 865: ἄλλα δ' ἐξ ἄλλων κυρεῖ, *alia ex aliis proveniunt*, Tr. 680, Ion. 709.

Participium, quod in plerisque his postremis exemplis apte suppleri potest, additur Or. 513: ὅστις αἷμ' ἔχων κυρεῖ, Med. 265: ὅταν δ' ἐς εὐνὴν ἠδικημένη κυρῇ, Cf. Alc. 957, Andr. 423, El. 777, Herc. 1117, Ion. 41, 711; Iph. T. 1285, Rhes. 196.

Κυρέω semel legitur apud PINDARUM Isthm. V (VI) 36: Αἰακίδαν

καλέων ἐς πλόον ξυνὸν κύρησεν δαινύμενον i. e. ***incidit in, reperiebat.*** Varia lectio est *κήρυσσε* (l. *κάρυσσε*).

Procedo iam ad verbum *νέομαι* s. *νίσσομαι*, quod apud Homerum plerumque *reditum* significat, item *νοστεῖν* cum substantivo verbali *νόστος*.

Arbitror opus non esse multis exemplis ut demonstrem haec verba in Homericis *redeundi* sensum habere, uni cuique satis notum est.

Attamen in ipsis carminibus Homericis verborum *νέομαι*, *νίσσομαι*, *νοστέω* nativa vis sensim evanuit, ita ut non solum de *redeuntibus* sed de quovis itinere a poetis adhiberentur. Cuius labis vestigia deprehenduntur haecce.

Φ 48 Achilles dicitur Lycaonem ad Orcum missurus esse: *καὶ οὐκ ἐθέλοντα νέεσθαι.* Inutilis porro versus Ψ 51 hoc vitio tenetur:

> *ὕλην τ' ἀξέμεναι παρά τε σχέμεν' ὅσσ' ἐπιϝεικὲς*
> *[νεκρὸν ἔχοντα νέεσθαι ὑπὸ ζόφον ἠερόεντα].*

Et damnatur hoc quoque argumento libri δ initium, ubi de Menelao filiam recens nuptam ad maritum missuro legimus: „puellam illuc *ἔπεμπε νέεσθαι.*"

Recurrit praeterea dictio novicia ξ 261 (= ρ 430):

> *ὀπτῆρας (ἅπ. λεγ.) δὲ κατὰ σκοπιὰς ὤτρυνα νέεσθαι.*

Denique offendit in versu σ 186 (= χ 434, 496) ubi Euryclea progreditur:

> *ἀγγελέουσα γυναιξὶ καὶ ὀτρυνέουσα νέεσθαι,*

et in vicinia χ 484:

> *πάσας δ' ὄτρυνον δμῳὰς κατὰ δῶμα νέεσθαι.*

Legitur apud Sophoclem Ant. 31 sqq:

> *τοιαῦτά φασι τὸν ἀγαθὸν Κρέοντά σοι*
> *κἀμοί, λέγω γὰρ κἀμέ, κηρύξαντ' ἔχειν,*
> *καὶ δεῦρο νεῖσθαι ταῦτα τοῖσι μὴ εἰδόσιν*
> *σαφῆ προκηρύξοντα κτλ.*

ubi *νεῖσθαι* simplici sensu *veniendi* dictum est. Haec forma non nisi hoc loco apud Sophoclem legitur, sed occurrit *προσνίσσομαι*

Ant. 129: *καί σφας ἐσιδὼν ῥεύματι πολλῷ προσνισσομένους* ubi quid significet vel ipsa praepositio satis indicat. Cf. O. C. 695: (Κηφισσός) ὠκυτόκος πεδίων ἐπινίσσεται ἀκηράτῳ σὺν ὄμβρῳ.

Aeschylus semel utitur forma *ποτινίσσομαι*, *adire*, scil. Prom. 530: *θεοὺς ὁσίαις θοίναις ποτινισσομένα.*

Apud Euripidem legitur *νίσσομαι eundi* s. *adeundi* sensu, Cycl. 43: *πᾷ δή μοι νίσει σκοπέλους*; Eodem modo *νοστῶ* Hel. 428: *μόνος δὲ νοστῶ*, *solus huc adveni;* Ibid. 474: *Λακεδαίμονος γῆς δεῦρο νοστήσασ' ἄπο.*

Pindarus habet verbum *νέομαι eundi*, *incedendi* sensu Nem. II 12: *'Ωαρίων' ἀνεῖσθαι*, quod Bergkius nihil aliud esse contendit nisi *ἀνανεῖσθαι* sive *ἀννεῖσθαι* i. e. *oriri.* Alia lectio est *'Ωαρίωνα νεῖσθαι*, *Orionem incedere.* Pyth. IV 247: *μακρά μοι νεῖσθαι κατ' ἀμαξιτόν.*

Transitive etiam apud eum legitur, significat autem *percurrere, persequi canendo* Pyth. VIII 69: *ἄναξ, ἑκόντι δ' εὔχομαι νόῳ κατά τιν ἁρμονίαν βλέπειν, ἀμφ' ἕκαστον ὅσα νέομαι*; hoc loco tamen Mingarelli coniecit *νέμομαι.* Item *νίσσομαι* simpliciter *ire*, *venire* denotat Ol. III 34: *ἐς ἑορτὰν ἵλαος — νίσσεται σὺν — παισὶ — Λήδας* scil. Apollo. Nem. V 37: *Αἰγᾶθεν ποτὶ κλειτὰν θαμὰ νίσσεται Ἰσθμὸν Δωρίαν* scil. Neptunus.

Figurate occurrit Ol. III 10: *νίσσοντ' ἐπ' ἀνθρώπους ἀοιδαί.*

Substantivum *νόστος* apud Homerum semper legitur de *reditu* (B 155, K 509, α 87, 326, β 360, γ 132, 142, ε 344, ψ 68).

Sophocles utitur hoc vocabulo de *oberratione* Ai 900: *ὤμοι ἐμῶν νόστων.* Etiam Phil. 43 huc pertinet, qui tamen locus est obscurior et vix sanus; legitur enim:

ἀλλ' ἢ ἐπὶ φορβῆς νόστον ἐξελήλυθεν
ἢ φύλλον εἴ τι νώδυνον κάτοιδέ που.

ubi *ἐπὶ φορβῆς νόστον* explicatur *ad victum quaerendum*, sed tunc desideratur vocabulum quale *κτῆσις.* Coniecerunt Burges *φορβήν*, Wecklein *νῆστις.* Ego conatus sum:

ἀλλ' ἢ ἐπὶ φάρμακόν τί γ' ἐξελήλυθεν,
εἰ φύλλον ἤ τι νώδυνον κάτοιδέ που;

Apud Aeschylum semper legitur sensu *reditus*, Pers. 8, 861, 935; Ag. 812, 988; sed Euripides ab Homerica scribendi consuetu-

dine descivit, cum vocabulo νόστος utatur sensu *itineris*, *navigationis*; Iph. A. 965: εἰ πρὸς Ἴλιον ἐν τῷδ' ἔκαμνε νόστος, Cf. 1261. Rhes. 427: μέλλοντι νόστον τὸν πρὸς Ἴλιον περᾶν.

Non aliter PINDARUS Nem. III 25: ἰδίᾳ τ' ἐξερεύνασε τεναγέων ῥοάς, ὅπᾳ πόμπιμον κατέβαινε νόστου τέλος (δία τ' ἐξερεύνασε Boeckh.), *perscrutatus est vada*, *quousque itineris finem s. terminum perfecit* i. e. *quousque iter ad finem perduxit*. Dissenius contra ad hunc locum annotat: „νόστου τέλος s. τέρμα est *meta reditus*, h. e. terminus, qui redire te cogit nec patitur ulterius progredi Cf. ad Ol. II 31. Sic τέρμα σωτηρίας est meta salutis Soph. O. C. 716 (725). Convenit denique πόμπιμον, quae vox activum et passivum sensum habens πέμπων et πεμπόμενος significat, et nunc quidem est quae domum remittit meta, ut πομπή Homerico sensu notissimo est reductio in patriam."

Verbi πέλειν activae formae apud HOMERUM occurrunt πέλει, e. g. Γ 3: ἠύτε περ κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρό, Cf. Δ 158, I 134, 324, 592, Ξ 396, O 38, ε 186, χ 405, (h. Ap. 86) et 'πέλε e. g. E 511: ἢ γάρ ῥ' ἔπελεν Δαναοῖσιν ἀρηγών, Cf. 729, Δ 450, Θ 64, Λ 604, T 365, ε 280, ω 311 (h. Ap. 304), item ἔπλε, M 11: καὶ Πριάμοιο ϝάνακτος ἀπόρθητος πόλις ἔπλε (van Leeuwen et Mendes da Costa ἀπόρθηπον 'πλέτο ϝάστυ).

Multo tamen usitatior in Homericis est medii forma πέλομαι, quare pro πέλει praestare videtur πέλετ' (i. q. πέλεται dipthongo abiecto), pro πέλεν melius substituendum πέλετ' (i. q. ἐπέλετο), quod tantum non omnibus locis sine versus detrimento fieri potest.

Tragici in diverbiis plerumque utuntur activa forma πέλειν, teste SOPHOCLE, qui activum habet O. R. 245: τῷ τε δαίμονι τῷ τ' ἀνδρὶ τῷ θανόντι σύμμαχος πέλω i. e. *me socium dei atque hominis mortui ultorem esse profiteor*. Simpliciter *esse* significat Ant. 990: τυφλοῖσι — κέλευθος ἐκ προηγητοῦ πέλει, sic quoque in nobili cantico 833:

πολλὰ τὰ δεινὰ κοὐδὲν ἀν-
θρώπου δεινότερον πέλει.

Cf. 847, 1027; Trach. 1161.

Impersonaliter extat El. 265: κἀκ τῶνδέ μοι λαβεῖν θ' ὁμοίως καὶ τὸ τητᾶσθαι πέλει i. e. *mihi contingit.*

Medium legitur tantum Ai. 159 in anapaestis: σμικροὶ μεγάλων χωρὶς σφαλερὸν πύργου ῥῦμα πέλονται. Tyr. fr. 583, a, 1: πέλεται οὔτ' ἀπ' εὐγενέων ἐσθλός, οὔτ' ἀχρείων ὁ λίαν κακός.

Semel hoc verbum media forma occurrit apud Aeschylum in diverbiis, nempe Eum. 199:

αὐτὸς σὺ τούτων οὐ μεταίτιος πέλῃ

ubi tamen πέλεις corrigendum esse suspicor, non, ut fieri solet, πέλει.

Euripides non nisi activa forma utitur, etiam in partibus lyricis et melicis, ubi apud Aeschylum πέλεσθαι quoque occurrit (Eum. 149, Ag. 255, Suppl. 122, 810, fr. 449, 3).

Pindaro utraque forma in usu est.

A radice πελ derivantur vocabula in — πολος exeuntia, inter quae est ἀμφίπολος. Apud Homerum femininum hoc est, quod non nisi in plur. num. legitur, significantque αἱ ἀμφίπολοι mulieres quae circum aliquem sunt occupatae, i. e. quae praesto sunt dominae in rebus domesticis faciendis eamque comitantur ubi in publicum procedit vel in itinere. Sic Od. ζ Nausicaae comites eunt cum vestes lavatum it. Hinc derivata est significatio in qua nihil servile superest, qua Sophocles utitur cum dicit Venerem alios deos adiuvisse in Hercule Ioles amore capiendo Trach. 860 sq.:

ἁ δ' ἀμφίπολος Κύπρις ἄναυδος φανερὰ
τῶνδ' ἐφάνη πράκτωρ.

Hoc loco ἀμφίπολος magis *adiutricem* indicat quam *ministram*, idem igitur quod βοηθός, ἀρωγός. Ceterum hic unicus est locus ubi apud Sophoclem legitur.

Non extat apud Aeschylum, sed Euripides promiscue de *viris feminisque* adhibet Alc. 89: οὐ μὰν οὐδέ τις ἀμφιπόλων στατίζεται ἀμφὶ πύλας. De *viro* solo dictum apparet fr. inc. CXII ἀμφίπολος Ἄρεος.

Pindarus de *viris* habet Ol. VI 32: πέμποισ' ἀμφιπόλους, Schol. θεράποντας. Ol. I 96 adiectivum est legiturque sensu passivo

visentium turba celebratus, τύμβον ἀμφίπολον ἔχων πολυξενωτάτῳ παρὰ βωμῷ (scil. Πέλοψ).

Derivatur ἀμφιπολεῖν, *versari circum* (Ol. XII 2, Pyth. IV 158, 271, Nem. VIII 6, Soph. O. C. 680). Homerus habet ἀμφιπολεύειν υ 78.

Eodemmodo formatum est vocabulum θαλαμήπολος, apud Homerum non nisi de *muliere* dictum, *cubicularia* (η 8, ψ 293), sed Sophocles de *viris* quoque adhibet qui cubiculum intrant O. R. 1209: λιμὴν αὐτὸς ἤρκεσεν παιδὶ καὶ πατρὶ θαλαμηπόλῳ πεσεῖν.

Apud Aeschylum Homerica significatione legitur Sept. 359 πικρὸν δ' ὄμμα τῶν θαλαμηπόλων.

In Euripidis Pindarique scriptis non superest.

Restat ut pauca dicam de voce πρόσπολος, quod in Homero non occurrit, Sophocli tamen usitatum est, de *ministro* s. *famulo* (Homeri ὀτρηροὶ θεράποντες illi), Ai. 539, 541, 544; O. C. 897, 1533; Ant. 1214, 1320; El. 23. De *sacrorum administris* O. C. 1052. De *famula*, *ancilla* (Hom. ἀμφίπολοι, θαλαμήπολος) O. R. 945, O. C. 746, El. 78. Hinc derivatur verbum προσπολεῖν, *comitari* O. C. 1098.

Apud Aeschylum πρόσπολος de *ministro* usurpatur Sept. 574, de *famula* Eum. 1024, sic apud Euripidem quoque promiscue, Or. 106, 628 et passim per omnia eius opera. Verbum προσπολεῖν legitur apud eundem Troad. 264.

Pindarus his non utitur vocabulis.

Στείχω apud Homerum semper dicitur de motu s. gressu quoquoversus abeundi causa, notatque *incedo*, *eo*, *proficiscor* B 833 ἐς πόλεμον ι 418 θύραζε λ 17 πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα, ubi fortasse melius legitur κατ' οὐρανὸν κτλ, nam significat *per coelum stellatum incedere*, η 72 ἀνὰ ϝάστυ Cf. I 86, Π 258.

Sic etiam a Sophocle usurpatur, sed praeterea de *aditu* dicitur Trach. 179: στείχονθ' ὁρῶ τίν' ἄνδρα Alex. fr. 83: στείχων ἀγρώστην ὄχλον.

Neque aliter Aeschylus Prom. 708: στεῖχ' ἀνηρότους γύας Cf. 1090. Sept. 467: στείχει πρὸς ἐχθρῶν πύργον, Cf. 297, Ag. 1657,

764, et EURIPIDES Cycl. 644: *αὐτόματον τὸν δαλὸν εἰς τὸ κρανίον στείχοντα*, Ion. 1331, Rhes. 992.

PINDARUS non discedit ab usu Homerico.

Τρέω apud HOMERUM est *fugere*, *recedere* P 322: *ἀλλ' αὐτοὶ τρέετ' ἄσπετον οὐδὲ μάχεσθε*, E 256: *τρεῖν μ' οὐκ ἐᾷ Παλλὰς Ἀθηνή*. De leone cui faces ardentes praetenduntur Λ 554: *τάς τε τρέει ἐσσυμένος περ*.

Φ 288: *μή τι λίην τρέε μήτε τι τάρβει* tamen potius vertendum est *reformidare*.

Aoristi forma *ἔτρεσα* sive *ἔτρεσσα* semper *fugiendi* sensum habet monuitque iam Aristarchus ad Ξ 522: *ὅτι οὐ λέγει τρεσσάντων δεισάντων, ἀλλὰ φυγόντων· „τρέσσαι δ' οὐκέτι ῥίμφα πόδες"*, sequitur *'φέρον ἐκ πολέμοιο* N 515; Cf. O 286, 589; P. 603, X 143; ζ 138. Videndus etiam Aristarchus ad N 515: *ἡ διπλῆ, ὅτι τρέσσαι φυγεῖν μετὰ δέους, ἀλλ' οὐ ψιλῶς φυγεῖν· „τρεῖν μ' οὐκ ἐᾷ Παλλὰς Ἀθήνη"* (E 256).

Verbum ab Attico sermone alienum apud gentes Doricas servatum est; Spartani *τρέσαντας* vocant qui Athenis dicuntur *ῥιψάσπιδες*. Hinc etiam apud Xenophontem, frequentem doricarum formarum cultorem, legitur Anab. I, 9, 6: *καὶ ἄρκτον ποτὲ ἐπιφερομένην οὐκ ἔτρεσεν, ἀλλὰ συμπεσὼν κατεσπάσθη ἀπὸ τοῦ ἵππου, κτλ.*

SOPHOCLES non nisi Aoristum habet, idque semper sensu *timendi*, excepto loco O. C. 1419: *εἰς ἅπαξ τρέσας*, *si semel terga dederim*. Sed contra Ibid 1737: *τρέσητε μηδέν*, *ne quid timealis* Cf. Ant. 1042, El. 1240.

AESCHYLUM inspicientibus patebit poetam illum praesenti forma quoque uti, *tremendi*, *trepidandi* sensu Sept. 790: *νῦν δὲ τρέω μὴ τελέσῃ καμψίπους Ἐρινύς*. Cum acc. coniungitur Sept. 397: *κόσμον μὲν ἀνδρὸς οὔτιν' ἂν τρέσαιμ' ἐγώ*, Cf. 436, Ag. 549. Eum. 426: *τίνος τρέων κότον*; Suppl. 711, 729.

EURIPIDES primario *fugiendi* sensu adhibet Alc. 505 sq.:

> *ἀλλ' οὔτις ἔστιν ὃς τὸν Ἀλκμήνης γόνον*
> *τρέσαντα χεῖρα πολεμίων ποτ' ὄψεται*,

ubi tamen legere malim: ἀλλ' οὔτις ἐστιν ὅστις κτλ.

El. 220: μέν' ὦ τάλαινα μὴ τρέσῃς ἐμὴν χέρα.

Timendi significatione praebetur Alc. 328: ἔσται τάδ' ἔσται, μὴ τρέσῃς Cf. Aesch. Prom. 128: μηδὲν φοβηθῇς.

Phoen. 1077: ζῇ, μὴ τρέσῃς τόδ' ὥς σ' ἀπαλλάξω φόβου Cf. praeterea Heracl. 249, 500, 558, 654, 715; Iph. A. 321, Med. 307, Or. 1104, 1111.

Dubitandi s. *haesitandi* sensu dictum apparet Med. 1225:

οὐδ' ἂν τρέσας εἴποιμι τοὺς σοφοὺς βροτῶν
. . . .
τούτους μεγίστην μωρίαν ὀφλισκάνειν.

Apud Pindarum non legitur hoc verbum.

DE VERBIS VIDENDI.

De verborum quae mihi tractanda sunt in hoc capite usu apud Homerum singulari acumine iam egit Vir doctissimus J. M. Hoogvliet in dissertatione cui titulus „Studia Homerica". Quae ille de verbo δέρκομαι pag 7 sqq. disserit summa sagacitate notata atque exarata sunt. Δέρκεσθαι autem apud Homerum semper intransitivum est, idem ac atticorum βλέπειν, e. g. A 88:

ζώοντός γ' ἐμέθεν καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο.

Neque aliter π 439. Cf. praeterea Γ 342, Λ 37, Ρ 675, Χ 95, Ψ 815, τ 416.

Sed iam in ipso Homero sunt notae labis atque defectionis a pristina loquendi puritate, e.g. N 86 sqq.:

καί σφιν ἄχος κατὰ θυμὸν ἐγίγνετο δερκομένοισι
Τρῶας, τοὶ μέγα τεῖχος ὑπερκατέβησαν ὁμίλῳ,
τοὺς οἵ γ' εἰσορόωντες ὑπ' ὀφρύσι δάκρυα λεῖβον,

nisi δερκομένοισι mutare velimus in ϝεργομένοισι (vel ϝελλομένοισι)

et delere vss. 87—88 quia parum contextui conveniant, quae est sententia v. d. Hoogvliet l.l. pag. 18 sq.

Sic etiam vorsus Ξ 143 ei spurius esse videtur, cum h.l. locutio ἐπεὶ οὔ ϝοι ἔνι φρένες οὐδ' ἠβαιαί significare debeat *„quia misericordia nulla in eo est"*, quae notio non quadrat cum φ 288 ubi ἔνι τοι φρένες οὐδ' ἠβαιαί significat *tu sana mente cares"*, quae unice vera notio est. Legendi sunt igitur auctore Hoogvliet vss. 139 et 140:

Ἀτρεΐδη, νῦν δή που Ἀχιλλῆος ὀλοὸν κῆρ
γηθεῖ ἐνὶ στήθεσσι φόνον καὶ φύζαν Ἀχαιῶν.

Quod attinet ad acc. apud verbum γηθέω, confert scriptor I 77, τίς κεν τάδε γηθήσειε; ubi vestigia antiquae constructionis cernuntur (Stud. Hom. p. 19). Sed meo iudicio loco laudato habemus exemplum obiecti interni quod dicitur, ut μέγα βοᾶν, δριμὺ βλέπειν simm., sic apud Latinos „hoc laetor", „illud doleo" cett. eiusmodi.

Restat κ 196:

καπνὸν δ' ἐνὶ μέσσῃ
ἔδρακον ὀφθαλμοῖσι διὰ δρυμὰ πυκνὰ καὶ ὕλην,

ubi pro ἔδρακον legendum esse coniecit Hoogvliet ἔσδρακον, compositum quod acc. admittit. (Stud. Hom. p. 20).

Apud Sophoclem longe alia res est. Paucis locis tantum primaria significatio apparet, e.g. O.R. 413:
σὺ καὶ δέδορκας κοὐ βλέπεις ἵν' εἶ κακοῦ Cf. 454, El. 66, ubi perfectum δέδορκα vi praesentis legitur.

Ceterum transitive sumitur ut ὁρᾶν de rebus quae visui obnoxiae sunt, El. 899: ὡς δ' ἐν γαλήνῃ πάντ' ἐδερκόμην τόπον. Cf. Ai. 1, 360, 425; O. C. 894, El. 1466. — Trach. 693: δέρκομαι φάτιν Nauckius mutat in φάσμα δέρκομαι.

De rebus abstractis quae dicuntur occurrit El. 1116:
ἤδη σαφὲς πρόχειρον ἄχθος ὡς ἔοικε δέρκομαι, Cf. Trach. 747.

Tragici utuntur etiam forma passiva δερχθῆναι, quae apud Homerum non legitur (Ai. 425, fr. inc. 719, 2).

Denique Sophocles habet Praes., Impf., Perf. et Aor. Pass.

Aeschylus utitur formis δέρκομαι, δέδορκα praesentis sensu, et aoristis ἔδρακον et ἐδέρχθην.

Intransitive legitur Eum. 389: δερκομένοισι καὶ δυσομμάτοις. Pers. 1006: οἷον δέδορκεν ἄτα; Cf. 679, Ag. 1179, Suppl. 409. Sept. 53: λεόντων ὡς Ἄρη δεδορκότων, Cf. Eum. 322.

Transitive autem sumitur Prom 843: δέρκεται πλέον τι τοῦ πεφασμένου, Cf. 54, 93, 141, 304, 540, 546; Ag. 602: τί γὰρ γυναικὶ τούτου φέγγος ἥδιον δρακεῖν; Eum. 34.

Figurate de re quae auribus percipitur Sept. 103: κτύπον δέδορκα.

Apud Euripidem quoque vulgo transitivum est, Alc. 121: φῶς ὄμμασιν δεδορκώς, Cf. Hipp. 1193, Phoen. 380, Herc. f. 513, 1089; Suppl. 190, 1061; Iph. 285, Or. 385. Hipp. 1279: τὰν ἅλιος δέρκεται, Hec. 687, Cycl. 213, 697; Ion. 208, 1466; Herc. f. 1132, El. 867, Or. 1455: ἅπερ ἔδρακον.

Perraro primitivo intransitivo sensu legitur, ut Cycl. 213: τά τ' ἄστρα καὶ τὸν Ὠρίωνα δέρκομαι, Phoen. 1115: στικτοῖς πανόπτην ὄμμασιν δεδορκότα, Med. 211.

(Cycl. 77: θητεύω Κύκλωπι τῷ μονοδέρκτᾳ).

Pindarus formas habet δέρκομαι, part. aor. δρακείς, perf. δέδορκα. Significat apud eum *conspicio*, Nem. VII 3: οὐ φάος, οὐ μέλαιναν δρακέντες εὐφρόναν, Cf. fr. 123 (88).

Respiciendi autem notionem habet Pyth. III 85: λαγέταν γάρ τοι τύραννον δέρκεται — σ' ὁ μέγας πότμος, i. e. *favet*. *Circumspecto* est Pyth. II 20: Λοκρὶς παρθένος — διὰ τεὰν δύναμιν δρακεῖσ' ἀσφαλές. Cf. Nem. VII 66: ἔν τε δαμόταις ὄμματι δέρκομαι λαμπρόν, ut potest facere ille qui dicitur „nil conscire sibi, nulla pallescere culpa." Cf. ad rem Nem. X 40: οὐ κρύπτω φάος ὀμμάτων.

Perfectum δέδορκα intransitive legitur, *fulgendi* sensu Ol. I 97: τὸ δὲ κλέος τηλόθεν δέδορκε τᾶν Ὀλυμπιάδων ἐν δρομοις Πέλοπος, Cf. Nem. III 84, IX 41.

Λεύσσω. Vid. de hoc verbo apud Homerum Hoogvliet Stud. pag. 20 sqq. Idem pag. 21 dicit „Cui rerum natura dedit bene δέρκεσθαι, is multa potest ὁρᾶν, λεύσσειν tamen nihil poterit, nisi mens vel intellectus accesserit."

Λεύσσειν ἐπί τι est *cum mentis intentione aliquid intueri* ut speculator E 771: λεύσσων ἐπὶ ϝοίνοπα πόντον. Conferatur ε 158: πόντον ἐπ' ἀτρύγετον δερκέσκετο δάκρυα λείβων, ubi Ulixes maris undas prospectat dum νοῦς ἀποδημεῖ.

Transitive quoque in usu est apud Homerum A 120:

λεύσσετε γὰρ τόγε πάντες ὅ μοι γέρας ἔρχεται ἄλλῃ,

i. e. *clare perspicitis et intelligitis*.

Apud seriores poetas λεύσσειν nullo *intelligendi* sensu adiecto simpliciter ponitur pro ὁρᾶν et βλέπειν, sic SOPHOCLES Ai. 886: ἀμένηνον ἄνδρα μὴ λεύσσειν ὅπου, O. C. 868: ὁ πάντα λεύσσων Ἥλιος, Cf. Ant. 808, El. 3, 1428; Trach. 226, 897; Phil. 1221, 1411. — Trach. 829: ὁ μὴ λεύσσων *mortuum* indicat. O. C. 121 significat *quaerere*, προσπεύθου, λεῦσσέ νιν.

AESCHYLUS eodem modo, simplici sensu *oculis videndi*, Prom. 560: τίνα φῶ λεύσσειν; Pers. 84: κυανοῦν δ' ὄμμασι λεύσσων φονίου δέργμα δράκοντος; Cf. 684, 710; Ch. 10, Eum. 255, Suppl. 183, 345.

Sic EURIPIDES quoque adhibet, Or. 224: λεπτὰ λεύσσω κόραις, Cf. 385, 389, 1549. Phoen. 599: εἰς χεῖρας λεύσσεις ἐμάς; Cf. 1090, 1490. Alc. 1127: γυναῖκα λεύσσω τήνδ' ἐμήν; Suppl. 791, Iph. A. 821, Tr. 201, 269; Rhes. 955.

Proprio sensu *videndo intelligendi* occurrit Or. 975: ἔθνη πολύπονα, λεύσσεθ', ὡς παρ' ἐλπίδας μοῖρα βαίνει. Med. 161: λεύσσεθ' ἃ πάσχω; Bacch. 1230: λεύσσω γὰρ αὐτήν, ὄψιν οὐκ εὐδαίμονα, Hipp. 1107: λείπομαι ἔν τε τύχαις θνατῶν καὶ ἐν ἔργμασι λεύσσων.

PINDARUS utitur hoc verbo Pyth. IV 145: σθένος ἀελίου χρύσεον λεύσσομεν, „Lyrico ornatu pro epico ὁρᾶν φάος ἠελίοιο" (Dissen.).

Παπταίνω idem est ac Atticorum περιβλέπω, *circumspicio*, plerumque apud HOMERUM intransitive legitur Λ 435: 'τρεσσε παπτήνας Δ 497: ἀμφὶ ϝε παπτήνας, Cf. M 233, P 84.

λ 605: δϝεινὸν παπταίνων, ω 179. — μ 233: πάντῃ παπταίνων, χ 380: πάντοσε, Cf. E 674.

Transitive autem usurpatur Δ 200: παπταίνων ἥρωα Μαχάονα, P 115: παπταίνων Αἴαντα μέγαν.

SOPHOCLES utitur sensu *intuendi* Ant. 1231: τὸν δ' ἀγρίοις ὄσσοισι

παπτήνας ὁ παῖς. Propria significatione sumi potest, Ai. 11: *παπταίνων εἴσω πύλης*.

Aeschylus sequitur Homerum Prom. 334: *πάπταινε δ' αὐτὸς μή τι πημανθῇς ὁδῷ*, ubi tamen positum esse potest pro simplici *ὅρα μή κτλ*, *cave ne infortunium feras in itinere*, Cf. 1034.

Apud Euripidem verbum non legitur.

Pindarus primaria significatione habet Ol. I 117: *μηκέτι πάπταινε πόρσιον*, Cf. Pyth. III 22, Isthm. VI (VII) 44.

Sed *conspiciendi* sensu praeditum est Pyth. IV 95: *τάφε δ' αὐτίκα παπτάναις ἀρίγνωτον πέδιλον δεξιτερῷ μόνον ἀμφὶ ποδί*.

In fine huius capitis pauca addere licebit de dativo metaplasto *ὄσσοισι*, qui legitur supra Soph. Ant. 1231, Cf. Trach 999. Aesch. Prom. 145, 679; Ag. 470. Eur. Alc. 269, Hec. 916, Bacch. 236, 1166, 1383; Hel. 121, Ion. 193, Herc. f. 933.

Sic Genitivus *ὄσσων* legitur Aesch. Prom. 398, Ag. 140. Eur. Hec. 1104, Phoen. 373, Med. 906, Hipp. 1444, Suppl. 48, Herc. f. 450, 625.

Apud Homerum tantum dualis forma extat *τὼ ὄσσε*, unde seriores Gen. et Dat. plur. finxerunt, praeeunte Hesiodo Theog. 826:

ἐκ δέ ϝοι ὄσσων
θεσπεσίης κεφαλῇσιν ὑπ' ὀφρύσι πῦρ ἀμάρυσσε.

Scut. Herc. 426: *δϝεινὸν ὁρῶν ὄσσοισι, λέων ὣς σώματι κύρσας*, Cf. 430.

DE VERBIS CURANDI ATQUE PARANDI.

Ex his verbis primum sese offert *μέδω*, Cf. rad. *μηδ-*, unde *μῆδος*, *μήδομαι*, *Ἀγχμήδη* cett., cuius unum participium *μέδων* apud Homerum legitur, nempe genitivus sing. α 72:

Φόρκυνος θυγάτηρ ἁλὸς ἀτρυγέτοιο μέδοντος,

sed cum *μέδω* apud Hom. semper alias *curandi* sensum habeat, hoc loco potius legam pro *μέδοντος* quod h. l. *dominatorem* indicet necesse est, *γέροντος*, ut A 538, 556:

ἀργυρόπεζα Θέτις, θυγάτηρ ἁλίοιο γέροντος,

quod dictum de Nereo, qui superior etiam est Phorcyne. Cf. δ 349 γέρων ἅλιος νημερτής de Proteo.

Genitivus in locutione ἁλὸς γέρων autem variis modis explicari potest, nempe locus indicari potest, ut sit ἁλὸς γέρων *senex qui in mari habitat*, ut Ἀθῆναι τῆς Ἀττικῆς. Secundo originem denotare potest, *senex qui ex mari provenit*, *in mari natus est* ut Περικλῆς Ξανθίππου s. Δημοσθένους λόγος. Tertio possessive sumi potest *mari proprius*, quo sensu plerumque vocabula composita finguntur qualia δημογέρων (i. q. δήμου γέρων), Δημοφόων, Δημολέων, Δημοπτόλεμος, ϝαστυϝάναξ, ϝαστύνοος simm.

Praeterea nominativus pluralis huius participii cernitur in locutione aliquot locis obvia ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες, quibus verbis significantur ii qui militibus in pugna imperant iisque praesunt et pacis tempore in conciliis eorum saluti prospiciunt, *imperatores et curatores.* (Cf. apud Romanos *curatores tribuum).*

Media forma extat verbum μέδομαι i. e. *curo aliquem, meditor de alicuius salute s. interitu, consulo alicui*, e. g. B. 384: πολέμοιο μεδέσθω Δ 418: μεδώμεθα θούριδος ἀλκῆς (ut alibi μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς). E 718, I 650, 622: νόστοιο, Σ 245, Ω 2: δόρποιο, β 358: κοίτου. Cf. λ 110, μ 137, τ 321.

Μέδεσθαί τινί τι legitur Δ 21: κακὰ Τρώεσσι, Cf. Θ 458.

Participium μεδέων (cuius forma fem. μεδέουσα extat Hymn. X 4: Σαλαμῖνος ἐυκτιμένης μεδέουσα) apud Hom. non nisi de Iove dicitur, *deo tutelari* Idae montis Dodonaeque, Γ 276: Ζεῦ πάτερ, Ἴδηθεν μεδέων, Cf. 320, H. 202, Ω 308. Π 234: Ζεῦ — Δωδώνης μεδέων δυσχειμέρου.

Apud Sophoclem novum verbum extat μέδω sensu *dominandi* Ant. 1119: μέδεις δὲ παγκοίνοις Ἐλευσινίας Δηοῦς ἐν κόλποις. Laoc. fr. 341: Πόσειδον ὃς Αἰγαίου μέδεις.

Sensu *imperatorum* μέδοντες legitur Aesch. Sept. 124 ex coniectura Heimsoethii: ἑπτὰ δ' ἀγάνορες μέδοντες στρατοῦ δορυσόῳ σαγᾷ πρέποντες πύλαις προσίστανται πάλῳ λαχόντες pro ἀγήνορες πρέποντες στρατοῦ κτλ.

Euripides utitur altera participii forma homerica μεδέων, Or. 1690: μεδέουσα θαλάσσης; Cf. supra Hom. α 72, unde apparet Euripidis temporibus ibi iam lectum esse ἁλὸς ἀτρυγέτοιο μέδοντος.

Hipp. 167: τόξων μεδέουσαν — Ἄρτεμιν i. e. **arcus domina**, quae „pharetram fert umeris", fr. inc. CLV, 1: τῷ πάντων μεδέοντι.

Sic Pindarus quoque adhibet sensu *domini*, *imperantis* Ol. VII 88: ὦ Ζεῦ πάτερ, νώτοισιν Ἀταβυρίου μεδέων, fr. 95 (63): ὦ Πάν, Ἀρκαδίας μεδέων.

Πορσύνω apud Homerum dicitur de uxore quae mariti lectum *apparat;* est a radice πορ, Lat. *par*, qui conspicitur etiam in ἔπορον, πορίζω, πόρος, πορεύομαι cett.

Γ 411: κείνῳ πορσυνέουσα λέχος, γ 403: τῷ δ' ἄλοχος δέσποινα λέχος πόρσυνε καὶ εὐνήν Cf. η 347. Quibus locis Aristarchus πορσανέουσα et πόρσαινε scribebat.

Sophocles utitur latiore sensu *praebendi*, *curandi*, quo iam usurpaverat poeta hymni Cer. 156:

τῶν πάντων ἄλοχοι κατα δώματα πορσαίνουσι,

i. e. καταπορσαίνουσι δώματα.

Sic Ai. 1398: ἐγὼ δὲ τἄλλα πάντα πορσυνῶ Cf. O. 1476, O. C. 441. *Nuntiare* denotat, El. 670: πρᾶγμα πορσύνων μέγα. Passive Phil. 781: χὠ στόλος πορσύνεται.

Apud Aeschylum de *coena*, media forma, Pers. 375: δεῖπνον τ' ἐπορσύνοντο. Aliter Ag. 1374: ἐχθροῖς ἐχθρὰ πορσυνῶν, Cf. Suppl. 522. Passive Ag. 1251: τίνος πρὸς ἀνδρὸς τοῦτ' ἄχος πορσύνεται; Ch. 1041: ἐπορσύνθη κακά Cf. Pers. 267.

De fato, quod rem *constituit*, Ch. 911: καὶ τόνδε τοίνυν Μοῖρ' ἐπόρσυνεν μόρον.

Euripides eodem modo abhibet tribus significationis gradibus, de *coena* El. 614: ξένων εἰς δαῖτα πορσῦναι τινά.

Sensu generali Med. 1020: παισὶ πόρσυν', οἷα χρὴ καθ' ἡμέραν. Andr. 352: μεγάλα πορσύνειν κακά, Cf. 804, 1064.

Curare est Rhes. 878: οὕτως, ὅπως ἂν μὴ ἐγκαλῇ, πορσύνετε.

Pindarus, si fides codicibus, et πορσαίνω et πορσύνω usurpavit; illud legitur Ol. VI 33: ἐκέλευσεν ἥρωι πορσαίνειν δόμεν Εἰλατίδᾳ βρέφος i. e. *ad educandum*, Schol. ἤγουν ἀνατρέφειν, αὔξειν. *Apparare* est Isthm. V (VI) 8: εἴη δὲ τρίτον σωτῆρι πορσαίνοντες Ὀλυμπίῳ Αἴγιναν κάτα σπένδειν μελιφθόγγοις ἀοιδαῖς.

Altera forma occurrit Isthm. III 79 (IV 61): δαῖτα πορσύνοντες, Pyth. IV 151: καί με πονεῖ τεὸν οἶκον ταῦτα πορσύνοντ' ἄγαν i. e. *quod augent.* Pyth. IV 278: τῶνδ' Ὁμήρου καὶ τόδε συνθέμενος ῥῆμα πόρσυνε i. e. *considera.*

Τεύχω apud Homerum significat *elaboro*, de operibus manu factis, e. g. τεύχεα vel νηόν, vel θάλαμον. De coena est *apparo.* Tum indicat *efficere*, *movere*, ut ἄλγεα, κήδεά τινι A 110, α 244, φύλοπιν, πόλεμον ω 476, παλίωξιν O 70, θάνατον λ 409, δόλον ϑ 276, γάμον α 277, βοήν κ 118, γέλω σ 350. Cum duplici accusativo autem invenitur A 4: αὐτοὺς δὲ ϝελώρια τεῦχε κύνεσσιν, *corpora autem canum rapinam fecit.*

Part. perf. pass. τετυγμένος est *affabre factus* Ξ 9, Π 225, δ 615, ι 223 sed et item quod *salvus*, *sanus*, *bene sese habens*, ut υ 366: νόος ἐν στήθεσσι τετυγμένος οὐδὲν ἀϝεικής. Passivum *fio* denotat, pf. pass. III sing. τέτυκται = ἐστί.

Medium significat *mihi paro* e. g. δαῖτα κ 182, δόρπον T 208.

Apud Sophoclem est *paro* Trach. 756: πολυθύτους τεύχειν σφαγάς, *efficio* Naupl. 379, 4: ἔτευξε πρῶτον ἐξ ἑνὸς δέκα. Sed discrepat ab usu Homerico Phil. 1189: ὦ πούς, πούς, τί σ' ἔτ' ἐν βίῳ τεύξω τῷ μετόπιν ubi eodem modo dictum est quo δρᾶν, ἐργάζεσθαι, ποιεῖν τινά τι, significatque *quid de te faciam in reliqua vita*, οὐκ οἶδ' ὅ τι σοι χρῶμαι ἔτι ἐν τῷ λοίπῳ βίῳ.

Aeschylus plane eodem sensu quo Homerus hoc verbo utitur, sed apud Euripidem est haec discrepantia ut adhibeat de homine cuius mutatur fortuna, cui usui tamen versus supra laudatus, A 4 viam munivit, Heracl. 613 sq.: τὸν μὲν ἀφ' ὑψηλῶν βραχὺν ᾤκισε τὸν δ' ἀτίταν εὐδαίμονα τεύχει (scil. ἡ μοῖρα).

Sic apud Pindarum quoque Nem. IV 84: ὕμνος δέ — ἰσοδαίμονα τεύχει φῶτα, IV 4 de re ὕδωρ — μαλθακὰ τεύχει γυῖα.

Ἐναίρω et ἐναρίζω.

Ἐναίρω apud Homerum significat *occido* (hominem igitur aliudve animal) Z 229: πολλοὶ δ' αὖ σοὶ Ἀχαιοὶ ἐναιρέμεν', ὅν κε δύνηαι, Cf. Θ 296, K 481, Λ 188, 203; N 483, Φ 485.

Medium occurrit E 43: Ἰδομενεὺς δ' ἄρα Φαῖστον ἐνήρατο, Cf. 59, Z 32, ω 424.

Uno loco obiectum est *pars* corporis humani, τ 263: μηκέτι νῦν χρόα καλὸν ἐναίρεο ubi figurate indicat *corrumpere*, *foedare*, ut κατιάπτειν β 376: ὡς ἂν μὴ κλαίουσα κατὰ χρόα καλὸν ἰάπτῃ.

SOPHOCLES hoc verbo utitur Phil. 946: ἐναίρων νεκρὸν ἢ καπνοῦ σκιάν, de animali 956: θῆρ' ὀρειβάτην τόξοις ἐναίρων. Discrepat autem ab Homerica dictione O. C. 843: πόλις ἐναίρεται σθένει.

Apud AESCHYLUM primitivo sensu legitur Sept. 811: οὕτως ἀδελφαῖς χερσὶν ἠναίροντ' ἄγαν et sic EURIPIDES quoque utitur Andr. 1182: εἴθε σ' ὑπ' Ἰλίῳ ἤναρε δαίμων, Hipp. 1129: θῆρας ἔναιρεν, Herc. f. 367: Κενταύρων ποτὲ γένναν — ἐναίρων, Ion. 191: Λερναῖον ὕδραν ἐναίρει, Cf. 218. Suppl. 821: εἴθε με Καδμείων ἔναρον στίχες ἐν κονίαισιν.

Item apud PINDARUM Nem. III 47: κάπρους τ' ἔναιρε X 15: Τηλεβόας ἐναρόντος (= Ἀμφιτρύωνος) ὄψιν ἐειδόμενος (Herm. Τηλεβόας ἔναρε. (Amphitryo scil.) τῷ δ' ὄψιν ἐειδόμενος κτλ.

Ἐναρίζω proprio sensu apud HOMERUM significat *hostem caesum exuviis spolio*, eodem modo ἐξεναρίζω in usu est.

M 195: ὄφρ' οἵ τοὺς ἐνάριζον ἀπ' ἔντεα μαρμαίροντα, Cf. P 187, O 343, X 223. His locis componuntur ἔντεα et τινά, sed armorum mentio non iniicitur

Σ 155: ἔνθ' ὅ γε τοὺς ἐνάριζε, φίλον δ' ἐξήνυτο θυμόν.
Π 731: Ἕκτωρ δ' ἄλλους μὲν Δαναοὺς ἔα' οὐδ' ἐνάριζεν.

Interficere denotat A 191 ubi Achilles dubitare dicitur utrum Ἀτρεΐδην ἐναρίζῃ an iram deponat.

Primaria significatio non superest apud SOPHOCLEM. Ant. 1734 legitur ἄγε με, καὶ τότ' ἐπενάριξον i. e. *interfice me cum patre.*

Trach. 94: ὃν αἰόλα νὺξ ἐναριζομένα
τίκτει κατευνάζει τε, φλογιζόμενον
Ἅλιον Ἅλιον αἰτῶ,

explicatur ἐναριζομένα per „*spoliata stellis*" quod non quadrat cum αἰόλα. Alii interpretantur per ἀφανιζομένη, quod me non intelligere fateor, nam qui, quaeso, nox *quae evanuit* potest solem κατευνάζειν? Solis occasu enim ni fallor et nisi „omnia

naturae praepostera legibus ibunt" nox oritur, neque evanescit. Pro ἐναριζομένα variae sunt coniecturae, quarum nonnullas enumerare mihi liceat.

O. Hense legendum proposuit ἐπαναιρομένα („sich erhebend", nempe ut nox soli cedat iterumque eum pellat).

Wecklein tentavit συνοριζομένα explicuitque „sibi vicinam, adfinem (σύνορον) efficiens."

K. Fecht coniecit μεταμειβομένα, i. e. *vices cum solo permutans.*

Inter has coniecturas meae quoque locum assignare mihi concedatur:

ὃν αἰόλα νὺξ ἀφανιζομένα
τίκτει, κατευνάζει τ' ἐναριζόμενον

i. e. *quem nox stellata parit cum evanescit, splendore spoliatum tamen cubitum deducit* (*qui moriente nocte nascitur, quem tamen nox in vicem fulgore spoliat et ad quietem deducit*).

Fieri enim potest ut in locutione ὃν αἰόλα νὺξ ἐναριζομένα τίκτει κατευνάζει τε, adiectivum αἰόλα nihil sit nisi epitheton honorificum noctis neque opus sit hoc loco oppositionem quaerere inter αἰόλα et ἐναριζομένα. Ad κατευνάζει tum referenda erunt tantum vocabula αἰόλα νύξ, cum vox ἐναριζομένα tantum pertineat ad τίκτει. Itaque explicari potest: *quem nox stellata et (mane) moriens parit et (vespere) cubitum deducit*, quod nisi faciamus, κατευνάζει vitio natum sit necesse est, requiriturque verbum *excitare* vel simile quid indicans.

Ai. 26 legitur de ovibus ἐφθαρμένας εὑρίσκομεν λείας ἁπάσας καὶ κατηναρισμένας quod minime epicum est. Homerus suaviter risisset, opinor, ad „debellatos hos balantes boumque spolia".

Aeschylus nulla spoliandorum armorum notione adiecta sensu *interficiendi* hoc verbo utitur Ag. 1644: τί δὴ τὸν ἄνδρα — οὐκ αὐτὸς ἠνάριζες.

Non legitur apud Euripidem, sed etiam Pindarus ab Homerica consuetudine descivit Nem. VI 52: φαεννᾶς υἱὸν εὖτ' ἐνάριξεν Ἀόος ἀκμᾷ ἔγχεος ζακότοιο.

Hoc loco etiam breviter notandum videtur verbum αἰχμάζειν, quod apud Homerum significat *iaculo pugnare*, *iaculari* (proprie

cuspide pugnare, ab αἰχμή). Locus ubi occurrit legitur Δ 324: αἰχμὰς δ' αἰχμάσσουσι νεώτεροι ubi Schol.: πάντα τὰ ὅπλα ἀπὸ μέρους. Sed opus non est ut dicamus partem pro toto indicari, nam Nestor hoc loco tantum commemorat telum princeps Graecorum, hastam, et locutio αἰχμὰς αἰχμάζειν posita est pro πολεμεῖν, μάρνασθαι simm.

SOPHOCLES hoc verbo utitur sensu *armandi* Ai. 97:

ἦ καὶ πρὸς Ἀτρείδαισιν ᾔχμασας χέρα;

Quod tamen Lobeckius apte dici negat, proponitque ἥμαξας.

Armis subigere prorsus insolita dictione denotat Trach. 355:

Ἔρως δέ νιν μόνος θεῶν θέλξειεν αἰχμάσαι τάδε,

ubi Schol. καταπράξασθαι τῇ αἰχμῇ, διὰ πολέμου κατορθῶσαι.

Apud AESCHYLUM *pugnare* est, ironice de Xerxe dictum Pers. 756: τὸν δ' ἀνανδρίας ὕπο ἔνδον αἰχμάζειν ubi Schol. per οἰκουρεῖν explicat.

Sic EURIPIDES quoque *pugnandi* sensu usurpat Rhes. 444: δέκατον αἰχμάζεις ἔτος.

PINDARUS hoc verbo non utitur.

Ἄρνυσθαι.

Hoc verbum in HOMERI lingua significat *sibi parare*, praesens autem adhibetur de conatu et *petere* igitur vel *tentare* potius est vertendum, ut A 159:

τιμὴν ἀρνύμενοι Μενελάῳ σοί τε, κυνῶπα, Cf. E 553, X 160.

Animi causa scholion exscribere libet ad A 159: τὸ δὲ ἀρνύμενοι ἐκ τοῦ ἀρνὸς καὶ ὑμὴν τὸ δέρμα· οἱ γὰρ ἀρχαῖοι τὰ συναλλάγματα διὰ δερμάτων ἀρνῶν ἐποιοῦντο. καταχρηστικῶς οὖν ἐνταῦθα. Hoc demum est sapere.

Z 446: ἀρνύμενος πατρός τε μέγα κλέος ἠδ' ἐμὸν αὐτοῦ, Schol. annotat: οὐ μόνον, φησίν, ἑαυτῷ τὴν δόξαν ἀλλὰ καὶ τῷ πατρὶ σῶσαι σπουδάζω. Cf. α 5: ἀρνύμενος ϝήν τε ψυχὴν καὶ νόστον ἑταίρων, ubi Faesius haec: „ἄρ-νυμαι verhält sich zu αἴρομαι ähnlich wie *capto* zu *capio: davonzutragen*, also zu *gewinnen* und auch zu *erhalten suchen*."

Aoristus est ἠρόμην indicatque *sibi parare*, ut constat ex no-

tissima et vulgatissima locutione κῦδος ἀρέσθαι, Cf. εὖχος, κλέος, νίκην ἀρέσθαι. Pro ἤρετο autem ἤρατο dare solent codices, quod vitium plus semel indicavit Cobetus, cui etiam nunc sunt qui aurem praebere nolint.

De *praemio comparando* adhibetur I 124: ἀέθλια ποσσὶν ἄροντο. De *aerumnis* et *vulneribus* δ 107: ὅσσ' Ὀδυσεὺς ἐμόγησε καὶ ἤρετο, Ξ 130: μή πού τις ἐφ' ἕλκεϊ ἕλκος ἄρηται.

Plane inusitate usurpatur apud SOPHOCLEM hoc verbum, etiam praesenti tempore, sensu *nanciscendi* et *possidendi*, Ai. 75: οὐ σῖγ' ἀνέξει μηδὲ δειλίαν ἀρεῖ: ubi δειλίαν ἄρνυσθαι, i. e. *ignaviae notam in se recipere,* conferendum est cum Ant. 924: δυσσέβειαν ἐκτησάμην, Eur. Med. 297: φθόνον ἀλφάνουσι. — Ai. 247: ὥρα τιν' ἤδη τοι — ποδοῖν κλοπὰν ἀρέσθαι. Ant. 903: νῦν δὲ τοιάδ' ἄρνυμαι (i. e. mercedem), schol. λαμβάνω; Trach. 711: ὧν ἐγὼ μεθύστερον, ὅτ' οὐκέτ' ἀρκεῖ, τὴν μάθησιν ἄρνυμαι i. e. *scientiam habeo*, Phil. 836 sq.: καιρός τοι πάντων γνώμαν ἴσχων πολὺ παρὰ πόδα κράτος ἄρνυται, Schol. ἀποφέρεται, sed plane idem est ac ἔχει.

AESCHYLUS utitur Homerico sensu Sept. 317: κῦδος ἄροισθε, sed *suscipere* indicat Eum. 167: βλοσυρὸν ἀρόμενον ἄχος.

EURIPIDES Homerum sequitur Alc. 56, Andr. 697, Ixion. fr. 1, sed Hec. 1073 legitur ἀρνύμενος λώβαν i. e. *contumeliae particeps.*

PINDARUS differt ab Homero Nem. VII 59: τόλμαν τε καλῶν ἀρομένῳ, *suscipere.*

Ἄγαλμα.

Hoc vocabulum secundum antiquos grammaticos indicat καλλώπισμα πᾶν, ἐφ' ᾧ τις ἀγάλλεται καὶ χαίρει.

Suidas in voce ἀγάλματα: πάντα τὰ κόσμου τινὸς μετέχοντα. Ὅμηρος· βασιλῆϊ δὲ κεῖται ἄγαλμα (Δ 144) Και Ἡσίοδος τὸν ὅρμον ἄγαλμα καλεῖ (loco nunc deperdito) Πίνδαρος δὲ τὴν ἐπὶ τάφου στήλην οὕτω καλεῖ (Nem. X 77) Εὐριπίδης τὸν ἐπὶ νεκροῖς κόσμον (Alc. 616, Herc. f. 358, 703; Troad. 193).

Cum Suidas mentionem iniiciat columnae sepulchralis, memoratu dignum videtur testimonium etiam antiquius celeberri-

mae columnae Nani (Corpus Inscript. Graec. 3 = I. G. A. Roehl 412):

παῖ Διὸς Ἐκφάντῳ δέξαι τόδ' ἀμεμφὲς ἄγαλμα·
σοὶ γὰρ ἐπευχόμενος τοῦτ' ἐτέλεσσε γρόφων.

Est ἄγαλμα igitur omnis res quae oculos animumque delectat et nobis specie ornata atque magnifica admirationem iniicit, *oblectamentum.* Itaque dici potest de rebus et de personis venustate et mirabili quadam gratia praeditis, ita ut vividum voluptatis sensum percipiamus cum nobis sese offerunt.

Apud HOMERUM autem ἄγαλμα non dicitur nisi de *rebus* et *bestiis*, e. g. de tauro, victimarum ritu ornato γ 437: ἵν' ἄγαλμα θεὰ κεχάροιτο ϝιδοῦσα. Alii loci, ubi apud eundem legitur, sunt Δ 144: βασιλῆϊ δὲ κεῖται ἄγαλμα, de equi ornatu dictum. γ 274: πολλὰ δ' ἀγάλματ' ἀνῆψεν, ὑφάσματά τε χρυσόν τε, de muneribus quae diis offeruntur. Cf. δ 601. θ 509: ἢ ἐάειν μέγ' γαλμα θεῶν θελκτήριον εἶναι, de equo ligneo; ubi coniungenda sunt θελκτήριον et θεῶν.

His igitur locis ἄγαλμα idem est quod κειμήλιον aut ἀνάθημα.

SOPHOCLES suum sensum huic vocabulo tribuit O. R. 1379: δαιμόνων ἀγάλμαθ' ἱερά, i. e. *sacra deorum templa* s. *simulacra.* Ad personas tamen transfert Ant. 703 sq.:

τί γὰρ πατρὸς θάλλοντος εὐκλείᾳ τέκνοις
ἄγαλμα μεῖζον, ἢ τί πρὸς παίδων πατρί;

ubi recepi Johnsoni emendationem εὐκλείᾳ pro εὐκλείας, ita ut sensus evadat: *Quae enim liberis maior causa delectationis est quam pater gloria florens* etc. Ant. 1115 Bacchus vocatur Καδμείας ἄγαλμα νύμφας.

AESCHYLUS habet ἄγαλμα plerumque primario sensu, quem ex Homero novimus: Pr. 466, Ag. 208, 741; Ch. 200, Eum. 920, Suppl. 192. *Simulacrum* indicat Sept. 258: παλινστομεῖς αὖ θιγγάνουσ' ἀγαλμάτων Cf. 265, Eum. 55.

Apud EURIPIDEM passim utraque significatione legitur. Iocose tragicum et epicum sermonem imitatur Aristophanes Vesp. 315: ἀνόνητον ἄρ' ὦ θυλάκιόν σ' εἶχον ἄγαλμα.

PINDARUS τῷ ἀγάλματι utitur, primario sensu Nem. III 12:

χαρίεντα δ' ἕξει πόνον χώρας ἄγαλμα. Quamquam non satis constat quid significent haec verba, Dissenius interpretatur: „*lubens autem accipiet hoc carmen* (Iuppiter) *utpote ornamentum terrae* (sibi carissimae h. e. Aeginae)." Boeckhius vero χώρας ἄγαλμα *chorum* intellegit vertens: „*pulchrum elegantemque laborem habebit chorus.*" Matthiae χώρας ἄγαλμα ipsum ὕμνον dici contendit, canticum quo celebratur haec regio (Aegina), ut vertendum sit: „*dulcem vero laborem habebit hymnus* i. e. παρέξει." Heynius *urbem Aeginam* pro subiecto accipit, alii ipsum Aristocliden, cui hymnus dedicatur. Sed quam sint contorta haec omnia neminem fugere arbitror, quapropter admodum placet mihi Rauchensteinii propositum ἕξεις, ut hic sit verborum sensus: *tu vero, Musa, dulcem facies laborem, huius terrae* (Aeginae) *ornamentum* (constituendo); i. e. *si tu me adiuveris in hoc hymno canendo, tunc Aeginae decus atque ornamentum praebebis.*

Eodem sensu recurrit Nem. VIII 16. *Donarium numini* consecratum sive ἀνάθημα est Nem. X 67: ἔνθεν (h. e. ἐκ τύμβου) ἁρπάξαντες ἄγαλμ' Ἀίδα, ξεστὸν πέτρον, *cippum tumulo impositum*, στήλην.

Simulacrum est Nem. V 1: οὐκ ἀνδριαντοποιός εἰμ', ὥστ' ἐλινύοντα ϝεργάζεσθαι ἀγάλματα.

Ἄγρη.

Ἄγρη apud Homerum significat *id quod capitur venando*, a verbo ἀγρεῖν (i. e. αἱρεῖν). Cf. ζωγρεῖν = ζῶντα αἱρεῖν.

μ 330: καὶ δὴ ἄγρην ἐφέπεσκον.

In loco qui legitur χ 302 sqq. quaedam difficiliora insunt. Perspicuitatis causa totum locum excribam:

> οἱ δ' ὥς τ' αἰγυπιοὶ γαμψώνυχες ἀγκυλοχεῖλαι
> ἐξ ὀρέων ἐλθόντες ἐπ' ὀρνίθεσσι θόρωσιν —
> ταὶ μέν τ' ἐν πεδίῳ νέφεα πτώσσουσαι ἵενται,
> οἱ δέ τε τὰς ὀλέκουσιν ἐπάλμενοι, οὐδέ τις ἀλκὴ
> γίγνεται οὐδὲ φυγή· χαίρουσι δέ τ' ἀνέρες ἄγρῃ — etc.

Varie haec verba possunt explicari. Si ἄγρη est *praeda*, quae venatione capitur, et νέφεα sunt *retia tenuissima* ad aves capiendas (vid. Hesych. s. v. νεφέα, λίνα θηρατικά. Postea νεφέλαι vocabantur, ut patet ex Ath. I 25 D: οὐδὲ τὸν ἀέρα δ' οἱ ἥρωες τοῖς ὄρνισιν εἴων ἐλεύθερον, παγίδας καὶ νεφέλας ἐπὶ ταῖς κίχλαις καὶ πελειάσιν ἱστάντες. Ar. Av. 194 Epops hunc in modum iurat: μὰ γῆν, μὰ παγίδας, μὰ νεφέλας, μὰ δίκτυα; Cf. 528. Anthol. Pal. 6, 11, 2: ὀρνίθων λεπτόμιτον νεφέλην), tunc vertendum erit: *vulturii aviculas persequuntur*, *quae paventes in retia incidunt*, *dum rustici gaudent illa praeda s. captura.* Sic tamen non satis apparet utrum vulturii illi sint falcones venatici, ab hominibus ad usum venatorium mansuefacti, qui aviculas in „turdis edacibus dolos" propellant, an sint vultures agrestes, quorum opere inscio homines praeda ditentur. — Sed vocabulum ἄγρη etiam de ipsa *venatione* potest accipi, simulque νέφεα proprio sensu sumi potest *nubium*, quo facto habemus versionem: *vulturii persequuntur aviculas*, *quae paventes ad nubes* (s. *per nubes*) *volitant*, *dum rustici illa aeria venatione delectantur.* Sic tamen ἐν πεδίῳ et νέφεα parum apte componuntur. Suspicio autem est νέφεα neque *casses* significare hoc loco neque *nubes*, sed *multitudinem*, *turbam*, nos „scharen, zwermen", ut Δ 274: ἅμα δὲ νέφος εἵπετο πεζῶν. P 755: ὥς τε ψαρῶν νέφος ἔρχεται ἠὲ κολοιῶν. Virg. Aen. VII 793: *insequitur nimbus peditum.* Quare sese commendat coniectura, quam mecum communicavit vir Cl. van Leeuwen:

τῶν μέν τ' ἐν πεδίῳ νέφεα πτώσσοντα Fίενται.

Sophocles hac voce utitur significatione *praedae* Ai. 64: εὔκερων ἄγραν ἔχων Cf. 93, 264 sq.; O. C. 950, sed etiam *actionem venandi* s. *venationem* apud eum indicat Ai. 406: μώραις δ' ἄγραις προσκείμεθα. Ibid 880: τίς ἂν φιλοπόνων ἁλιάδᾶν ἔχων ἀύπνους ἄγρας, ubi etiam notio *investigandi* et *indagandi* accedit.

Aeschylus vocabulum ἄγρα eodem modo adhibet quo Homerus Sept. 322, Eum. 148, neque apud Euripidem locum invenire potui ubi alterum sensum habeat, nisi forte Ion. 1161:

ἱππείας τ' ἄγρας quod verti potest per *venationes ex equo.* PINDARUS Homerica significatione utitur Nem. III 81: (αἰετὸς) ὃς ἔλαβεν — δαφοινὸν ἄγραν ποσίν.

Ἄναξ, ἄνασσα, ἀνάσσω.

Homericum ϝάναξ est epitheton deorum, heroum, regum. Agamemnon, dux cui summa belli est delata, compluribus locis ϝάναξ ἀνδρῶν vocatur, sic etiam Anchises (E 268), Aeneas (E 311), Augeias (Λ 701), Euphetes (O 532), Eumelus (Ψ 288). Nonnumquam additur nomen civitatis; sic B 77 Nestor appellatur Πύλοιο ϝάναξ et Z 173 Iobates ϝάναξ Λυκίης εὐρείης.

Secundum Gladstonium (Stud. Hom. p. 89 ed. Schuster) ϝάναξ ἀνδρῶν titulus est, qui convenit illi qui

1) originem a Iove trahit,
2) dominationem habet terrae cuiusdam vel tribus,
3) cuius maiores ab auctore gentis sine intermissione imperium tenuerunt,
4) qui προστάτης est tribus vel gentis dominantis ex antiqua natione Hellenum.

Denique ϝάναξ simpliciter *dominum* s. *herum* indicat ut α 397: αὐτὰρ ἐγὼ ϝοίκοιο ϝάναξ ἔσομ' ἡμετέροιο. Cf. δ 87, ι 440, κ 216, Ψ 517, Ω 734.

Apud SOPHOCLEM dii, reges, heroes, duces eodem nomine indicantur, sed sensu generali *nobiles* quoque ἄνακτες audiunt, qui in Homericis vocantur βασιλῆες (ζ 54), δημογέροντες (Γ 149), γέροντες (B 53, Δ 344, β 14), „senatores".

O. R. 911: χώρας ἄνακτες, δόξα μοι παρεστάθη
ναοὺς ἱκέσθαι δαιμόνων, Cf. O. C. 831, Ant. 988.

Sic etiam Tiresias appellatur ἄναξ O. R. 284.

Sed praeterea notabilis admodum est tragicorum mos substantivum ἄναξ iungendi cum genitivo rei quam quis concreditam sibi habet, propriam habet, quin etiam quam manu

tenet atque versat. Exempla ex Sophoclis dramatis superstitibus afferri nequeunt, nec tamen ab eius sermone alienam fuisse hanc dictionem apparet ex fragmento: *σημαίνει καὶ τὸν φύλακα, ὡς παρὰ Σοφοκλεῖ, οἷον πύλης ἄναξ θυρωρέ*, quod servatum est in Mélanges Milleri p. 32.

Apud Aeschylum et Euripidem hoc dicendi genus saepius occurrit, Aesch. Pers. 384: *πᾶς ἀνὴρ κώπης ἄναξ εἰς ναῦν ἐχώρει.* Ibid 389: *νεῶν ἄνακτες.* Femininum *ἄναξ* invenitur fr. 279: *δέσποινα νύμφη δυσχίμων ὀρῶν ἄναξ.* (Cf. Pind. Pyth. XII 3). Eur. Cycl. 85 sq.:

ὁρῶ πρὸς ἀκταῖς ναὸς Ἑλλάδος σκάφος
κώπης τ' ἄνακτας.

Iph. A. 1260: *χαλκέων θ' ὅπλων ἄνακτες Ελλήνων ὅσοι κτλ.*

Auctorem significat Andr. 448:

ψευδῶν ἄνακτες, μηχανορράφοι κακῶν.

Hinc Plato Comicus admodum ridicule *παρατραγῳδῶν* hominem ingenti barba insignem vocat *ὑπήνης ἄνακτα* (fr. 122 Kock *ἄναξ ὑπήνης Ἐπίκρατες σακεσφόρε*), quod quam absurde dictum esset ipse opinor optime intellegebat.

Pindarus praeter epicam significationem figurate de rebus usurpat Ol. XIII 108: *μαρτυρήσει Λυκαίου βωμὸς ἄναξ.*

Femininum (*ϝ*)*άνασσα* apud Homerum, Pindarum et tragicos poetas semper de deabus aut reginis dicitur; in Euripidis fragmento tamen Teleph. XV 1: *ἄνασσα πράγους τοῦδε καὶ βουλεύματος* *auctorem* indicat.

Verbum *ϝανάσσειν* est *regere*, *dominari* et *herum*, *possessorem esse*, e. g. Hom. Α 38, 180; Δ 61, δ 9, λ 284. — Υ 180, α 402, δ 93, ω 30.

Tragici nihil dissentiunt, praeterquam quod Euripides hoc verbum adhibet eadem ratione qua modo substantivum *ἄναξ* apud tragicos usurpari vidimus. Hel. 1040:

πείσειας ἄν τιν' οἵτινες τετραζύγων
ὄχων ἀνάσσουσ', ὥστε νῷν δοῦναι δίφρους;

Sic Teleph. fr. XX:

κώπης ἀνάσσει κἀποβὰς εἰς Μυσίαν
ἐτραυματίσθη,

de quo loco ita disserit Aristoteles Rhet. III 2: τὸ δὲ, ὡς ὁ Τήλεφος Εὐριπίδου φησὶ, „κώπας ἀνάσσειν", καὶ „ἀποβὰς εἰς Μυσίαν," ἀπρεπὲς, ὅτι μεῖζον τὸ ἀνάσσειν ἢ κατ' ἀξίαν· οὐ κέκλεπται (l. κέκρυπται) οὖν.

Inusitatius etiam dicitur Iph. T. 17: ὦ τῆσδ' ἀνάσσων Ἑλλάδος στρατηγίας.

Pindarus figurate habet fr. 148 (115): ὀρχήστ' ἀγλαΐας ἀνάσσων, εὐρυφάρετρ' Ἄπολλον.

Eiusdem radicis uno loco Homerico extat adiectivum ἀνακτόριος i. e. *herilis* ν 397: δειπνήσας ἅμ' ὕεσσιν ἀνακτορίῃσιν ἐπέσθω, si sanus est versus.

Substantivum ἀνακτορίη, *dominatio* legitur h. Apoll. 234:

κεῖν' ὄχεα κροτέουσιν, ἀνακτορίην ἀφίεντες,

ubi abstracto ἀνακτορίῃ utitur poeta pro ἄναξ, h. l. *auriga*. In seriore Graecitate etiam alia derivantur vocabula, ut ἀνάκτωρ, *rex* Aesch. Ch. 357, Pers. 651, Eur. Iph. A. 1414, Fr. 1217; ἀνάκτορον, *regia*, *templum*, *penetrale*, Soph. fr. inc. 696: ὑφ' ἧς (scil. ἀνάγκης) τὸ κρυφθὲν ἐκφανεῖς ἀνάκτορον, ubi Welckerus coniecit ἀνακτόρων. Eur. Andr. 43: Θέτιδος εἰς ἀνάκτορον, Cf. 1157. Tr. 330, Rhes. 516, Iph. T. 41, 66; Ion. 55. — Hesych. Ἀνακτόριον, ἱερόν.

Ἀναξία legitur Pind. Nem. VIII 10: ἤθελον κείνου γε πείθεσθ' ἀναξίαις ἑκόντες i. e. *imperio*. Aesch. fr. 9 Hesych. Ἀναξίαν: βασιλείαν. Αἰσχύλος Αἰτναίαις.

Χειρωναξία, *ministerium* legitur Aesch. Pr. 45, Ch. 761.

Huc pertinet etiam Πρόμος, quo vocabulo Homerus utitur ad *propugnatorem* significandum, schol. H 75: ἡ διπλῆ ὅτι πρόμον τὸν πρόμαχον κατὰ συγκοπήν, Cf. 116, 436; Ξ 293, Χ 85, σ 379, ω 526.

Apud Sophoclem pugnandi notione haud adiecta *principem* denotat O. C. 844: ἰὼ γᾶς πρόμοι i. q. Ibid. 831: ὦ γῆς ἄνακτες. Cf. O. R. 660.

Sic Aeschylus quoque Ag. 200, Ibid 410: ἰὼ ἰὼ δῶμα δῶμα

καὶ πρόμοι. Eum. 399: Ἀχαιῶν ἄκτορές τε καὶ πρόμοι, Cf. Suppl. 904.

Neque discrepat Euripides a reliquis tragicis Iph. A. 699: Οἰνώνης πρόμον, Cf. Phoen. 1250, Tr. 31, Heracl. 670.

Non legitur apud Pindarus hoc vocabulum.

Ἀοιδός

apud Homerum est *vates*, qui gloriam canit deorum et heroum, vir honoratissimus, qui plerumque in regum aula vitam degit. Ita Agamemnon Troiam profecturus vati custodiam uxoris Clytaemnestrae mandat γ 267 sq.:

πὰρ γὰρ ἔην καὶ ἀοιδὸς ἀνήρ, ᾧ πόλλ' ἐπέτελλεν
Ἀτρεΐδης Τροίηνδε κιὼν εἴρυσθαι ἄκοιτιν.

Vates sacrosanctus est et saepius vocatur θεῖος α 336, δ 17, θ 43, χ 344 sqq. Non ab homine mortali artem suam didicit, deus ipse vel musa ei varios modos in animum iniecit θ 480 sq.:

οὕνεκ' ἄρα σφέας (sc. ἀοιδοὺς)
οἴμας μοῦσ' ἐδίδαξε, φίλησε δὲ φῦλον ἀοιδῶν, Cf. Ibid. 73.

χ 347 sq. Phemius inter alias preces hisce verbis Ulixem alloquitur:

αὐτοδίδακτος δ' εἰμί, θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἴμας
παντοίας ἐνέφυσε.

Uno loco ἀοιδοί sunt *cantores*, qui ad spondam hominis mortui lamentationes lugubres fundunt Ω 720 sq.

Latiore sensu Sophocles per ἀοιδόν significat *magum qui incantationes pronuntiat*, Trach. 1000 sqq.:

τίς γὰρ ἀοιδός, τίς ὁ χειροτέχνης
ἰατορίας, ὃς τήνδ' ἄτην
χωρὶς Ζηνὸς κατακηλήσει;

ubi Schol. ἀοιδός explicat ἐπῳδός.

Alio modo Sphinx, illud παρθένιον πτέρον, ἀμουσοτάταισι σὺν ᾠδαῖς, appellatur ἀοιδός, O. R. 35 sq.: ἐξέλυσας ἄστυ Καδμεῖον μολὼν σκληρᾶς ἀοιδοῦ δασμόν, ubi schol. annotat ὅτι τὸ „ἀοιδοῦ" εὔφημόν ἐστι, προσέθηκε „σκληρᾶς", ὅ ἐστι δυσκόλου, διὰ τὸ αἴνιγμα· ἢ φονικῆς.

Apud Aeschylum Suppl. 695 Musae vocantur θεαὶ ἀοιδοί.

Euripides autem de ave luscinia usurpat adiective Herc. f. 109 sq : ἐστάλην ἰηλέμων γόων ἀοιδὸς ὄρνις, Hel. 1115: τὰν ἀοιδοτάταν ὄρνιθα. De Sphinge Phoen. 512: σφιγγὸς ἀοιδοῦ σῶμα φονεύσας. *Augures* vocantur χρησμῶν ἀοιδοί, Heracl. 404, Cf. Herc. f. 1315.

Eleganter *radium textorium* sive *pectinem argutum* (Virg. Georg. I 293, Aen. VII 14), quem καλλίφθογγον vocavit Iph. T. 222, ἀοιδόν dicit in verbis ab Aristophane derisis Ran. 1316: κερκίδος ἀοιδοῦ μελέτας, quae ex Meleagro tragoedia desumpta esse testantur scholia. Praeiverat Homerus, arcus nervo vocem tribuens, φ 410 sq.:

δεξιτερῇ δ' ἄρα χειρὶ λαβὼν 'πειρήσατο νευρῆς·
ἡ δ' ὑπὸ καλὸν ἄεισε, χελιδόνι ϝεικέλη αὐδήν.

Haud aliter Sophocles φωνήν tribuit radio textorio fr. 522, (Aristot. de Poet. Cap. XVI: καὶ ἐν τῷ Σοφοκλέους Τηρεῖ ἡ τῆς κερκίδος φωνή).

Pindarus hanc vocem Homerico sensu habet Pyth. I 93, Isthm. III 45 (IV 27) et sensu *cantoris* Nem. II 1: ὅθενπερ καὶ Ὁμηρίδαι ῥαπτῶν ἐπέων τὰ πόλλ' ἀοιδοὶ ἄρχονται, Pyth. I 4: πείθονται δ' ἀοιδοὶ σάμασιν (scil. φόρμιγγος), ubi schol. ἀοιδοί explicat οἱ χορευταί.

Ἄχος

est a radice ἀχ, unde longior quoque rad. ἀγχ (Cf. ἄγχω, Lat. *ango*). Primario sensu *angorem* denotat, cuius significationis multa apud Homerum exempla extant, e. g. K 145:

μὴ νεμέσα· τοῖον γὰρ ἄχος βεβίηκεν Ἀχαιούς.

Cf. Θ 124, Ξ 475, Π 22, 599; P 539, ρ 470, φ 412.

Secundo sensu *dolorem* s *moerorem* indicat, semper de animo, Γ 412: ἔχω δ' ἄχε' ἄκριτα θυμῷ, Cf. Z 413, I 9, T 367, Ω 91, σ 348, τ 167, ω 315.

Apud Sophoclem primaria notio non occurrit; semper utitur poeta hoc vocabulo ad *dolorem*, vel etiam *causam doloris* indicandum, ut O. R. 1355:

τότε γὰρ ἂν θανὼν
οὐκ ἦ φίλοισιν οὐδ' ἐμοὶ τοσόνδ' ἄχος. Cf. O. C. 1712.

Cruciatum corporis e morbo provenientem notat. Trach. 1035:

παῖσον' ἐμᾶς ὑπὸ κλῆδος· ἀκοῦ δ' ἄχος, ᾧ μ' ἐχόλωσεν
σὰ μάτηρ ἄθεος.

Ant. 418 legitur: τυφὼς ἀείρας σκηπτόν, οὐράνιον ἄχος,
πίμπλησι πεδίον,

ubi *calamitas* s. *terriculamentum* significatur.

Neque apud alios tragicos poetas ἄχος primitivo Homerico sensu legitur, in Aeschyli tragoediis enim semper *calamitatem* denotat Ch. 419: τάπερ πάθομεν ἄχεα, ubi tamen *doloris* sensu etiam accipi potest. Ag. 1101: τί τόδε νέον ἄχος μέγα; Pers. 573: ἀμβόασον οὐράνι' ἄχη, ἐά, Cf. 581, Pr. 271, Ag. 427, Sept. 78.

Sic Euripides quoque sensu *doloris* adhibet Hel. 386: ἄχεα λύπης, Cf. Iph. A. 1334, Iph. T. 198, sed ubique alias *calamitatem* indicat, Phoen. 1037: ἔφερες ἄχεα πατρίδι φόνια Cf. 357. Hec. 108: κήρυξ ἀχέων „ongeluksbode". Vid. insuper Hipp. 1462, Ion. 764, 777; El. 1270, Med. 1270, Andr. 273, Suppl. 820.

Pindarus de *dolore* corporis s. *morbo* usurpat Pyth. III 50: λύσαις ἄλλον ἀλλοίων ἀχέων ἔξαγεν (Aesculapius); sed de *animi dolore* IV 237: ἴυξεν δ' ἀφωνήτῳ περ ἔμπας ἄχει δύνασιν Αἰήτας ἀγασθείς.

Δεῖμα, δεῖμος.

In lingua epica δϝεῖμα et δϝεῖμος significant *terrorem*, quo cui metus iniicitur. Prius vocabulum non nisi E 668 legitur: δϝεῖμα φέρων Δαναοῖσι (Hector).

Δϝεῖμος saepius occurrit: Δ 440, Δϝεῖμος τ' ἠδὲ Φόβος καὶ Ἔρις, Cf. Λ 37, O 119, ubi item coniungitur cum Φόβος et personae vice fungitur; ex loco postremo patet Δϝεῖμον et Φόβον fuisse Martis ministros.

Apud Sophoclem δεῖμα *pavorem* indicat quo quis percutitur anxius animi, O. R. 153:

ἐκτέταμαι φοβερὰν φρένα δείματι πάλλων,
i. e. *anxie expecto animo pavore perculso.*

O. C. 1465: ἐς δ' ἄκραν δεῖμ' ὑπῆλθε κρατὸς φόβαν.

Cf. 360, O. R. 294, El. 626, Ai. 1212.

Sed et *terriculamentum* denotat, nos „schrikbeeld", e. g. El. 406 sqq., ubi vs. 410 Chrysothemis Electrae roganti cur libamina patris tumulo ferre eam iusserit Clytaemnestra, respondet: ἐκ δείματός του νυκτέρου, δοκεῖν ἐμοί.

In exsecratione notionem habet *monstri terribilis*, quale κνώδαλον, Phil. 927: ὦ πῦρ σὺ καὶ πᾶν δεῖμα.

Δεῖμος apud tragicos poetas non occurrit.

Aeschylus voce δεῖμα utitur duabus significationibus, nam *pavorem* notat Ag. 976: τίπτε μοι τόδ' ἔμπεδον δεῖμα — ποτᾶται Cf. Prom. 580, Suppl. 514, 566, 738.

Terriculamentum est Prom. 691: πήματα, λύματα, δείματα, Cf. Pers. 210, Ch. 524. — Prom. 657: ἔτλην γεγωνεῖν νυκτίφαντ' ὀνείρατα Nauckius ex Lycophrone restituit νυκτίφοιτα δείματα, Cf. 585: πολλὰ μὲν γᾶ τρέφει δεινὰ δειμάτων ἄχη.

Eadem res est apud Euripidem, ex cuius scriptis prioris notionis exempla congeri possunt Hec. 93: τόδε δεῖμά μοι ἦλυθε, Cf. Or. 1668, Andr. 869. Suppl. 599: δεῖμα χλοερόν (Cf. Homericum χλωρὸν δέος', Iph. T. 485, Hel. 319: φόβος γὰρ εἰς τὸ δεῖμα περιβαλών μ' ἄγει, El. 911, Ion. 584.

Alterius significationis haec sunt exempla: Hec. 70: τί ποτ' αἴρομ' ἔννυχος δείμασι; (an legendum ἐννύχοις?) Herc. f. πέρσας δείματα θηρῶν, El. 457, 711; Rhes. 34, Sisyph. fr. I 14.

Sic Pindarus quoque priore sensu hoc vocabulo utitur Pyth. IV 97: κλέπτων δὲ θυμῷ δεῖμα προσέννεπε i. e. *occultans animo metum allocutus est.* V 58: λέοντες περὶ δείματι (*prae metu*) φύγον.

Terriculum est Isthm. VII (VIII) 12: ἀλλά μοι δεῖμα παροιχόμενον καρτερὰν ἔπαυσε μέριμναν, alii καρτερᾶν μεριμνᾶν et ἀλλ' ἐμ' ὀυ pro ἀλλά μοι.

Eiusdum radicis derivatur verbum δειμαίνειν, *timere* Hymn. Apoll. 404: οἱ δ' ἀκέων ἐπὶ νηῒ καθήατο δειμαίνοντες, transitive Hymn. Merc. 407: δειμαίνω κατόπισθε τὸ σὸν κράτος quod Henr. Stephanus dedit pro θαυμαίνω. Cf. Aesch. Pr. 41, Pers. 600,

Soph. O. C. 492, Tr. 89, 481; Eur. Hec. 185, Or. 543, Phoen. 264, Med. 39, Hipp. 519 et saepius.

Verbum δειματοῦν, *terrificare*, quod Homero non usitatum est, legitur Aesch. Ch. 845, Eur. Andr. 42.

Δέμας.

Derivandum est hoc vocabulum a radice δεμ, *struo*, *statuo*, significatque semper in Homericis *staturam* s. *habitum externum*, quasi *structuram* hominis viventis et vegeti (σῶμα apud Hom. in usu est de corpore mortuo).

Porphyrii scholion ex Aristarchi copiis desumptum extat huc spectans, scil. ad A 115: δέμας ὁ ποιητὴς τὸ ἔμψυχον εἴωθε λέγειν, παρὰ τὸ δεδέσθαι (rectius dixeris δεδμῆσθαι) καὶ συνεστηκέναι, οἷον „οὐ δέμας οὐδὲ φυήν" (h. l.), καὶ πάλιν „δέμας δ' ἤικτο γυναικὶ καλῇ τε μεγάλῃ τε" (δ 796), καὶ „ἐπεὶ οὔ πως οὐδὲ ἔοικε θνητὰς ἀθανάτῃσι δέμας [καὶ εἶδος ἐρίζειν]" (ε 212). σῶμα δὲ καλεῖ τὸ ἄψυχον, ἐπεὶ σῆμά τί (sic!) ἐστι τοῦ ποτὲ ζῶντος, οἷον „σῶμα δὲ οἴκαδ' ἐμὸν [δόμεναι πάλιν]" (H 79)· καὶ ἐπὶ τοῦ Ἐλπήνορος πάλιν „σῶμα γὰρ ἐν Κίρκης κατελείπομεν ἡμεῖς ἄκλαυτον καὶ ἄθαπτον" (λ 52)· καὶ ἔτι „ὧν ἔτι καὶ νῦν σώματ' ἀκηδέα κεῖται" (ω 186). Εὐριπίδης μέντοι ἐνηλλαγμένως δέμας μὲν ἐπὶ τοῦ νεκροῦ, λέγων „ἕκτον δὲ δὴ τόδ' ἦμαρ ἐξ ὅτου σφαγαῖς θανοῦσα μήτηρ πυρὶ καθήγνισται δέμας" (Or. 39 sq.)· τὸ δὲ σῶμα ἐπὶ ἐμψύχου λαμβάνει, λέγων „δεῖξαι γὰρ Ἀργείοισι σῶμ' αἰσχύνομαι" (Or. 98). Cf. praeterea de voce δέμας Ω 376, β 268, ϑ 116, ξ 177 ubi de corpore vivo humano usurpatur; de bestiis autem dicitur κ 139, ρ 306 sq.

Legenda sunt insuper quae Plutarchus habet poes. Hom. Cap. 124 et 128, laudatus a Lehrsio de Ar. Stud. Hom. pg. 95.

Non solus inter tragicos Euripides ab usu Homerico aberravit in hoc vocabulo; de Sophocle idem observari potest.

Vivum corpus idemque integrum et validum indicat O. C. 345 sq.:

ἡ μὲν ἐξ ὅτου νέας
τροφῆς ἔληξεν καὶ κατίσχυσεν δέμας,

sed *invalidum* et *aegrum*, praesertim addito attributo ἄθλιον denotat O. R. 1387 sq.:

οὐκ ἂν ἐσχόμην
τὸ μὴ ἀποκλῇσαι τοὐμὸν ἄθλιον δέμας.

Item O. C. 576, Trach. 1056, 1079. Denique notio *corporis mortui*, *cadaveris*, quod vi vegeta privatum est οὐτίδανον καὶ ἄκικυ, voci δέμας inest hisce locis:

Ant. 205 sq.: ἐᾶν δ' ἄθαπτον καὶ πρὸς οἰωνῶν δέμας
καὶ πρὸς κυνῶν ἐδεστὸν αἰκισθέν τ' ἰδεῖν.

Cf. Ibid. 902 sq. — El. 1161 Electra urnam in qua cineres Orestae inesse putat, talibus alloquitur:

ὦ δέμας οἰκτρόν, φεῦ φεῦ.

Etiam Aeschylus discedit ab usu Homerico; vid. Prom. 363: ἀχρεῖον καὶ παράορον δέμας, item 1018, 1051.

Exemplis Euripideis ab Aristarcho allatis, quae sunt profecto aptissime selecta, multa addi possunt, e. g. Alc. 349, Andr. 131, Hec. 63, 368; Hel. 1066, Herc. f. 1069, Hipp. 274, Med. 1212, Or. 1066, Suppl. 1106.

Pindarus non ab Homero desciscit, testibus locis ubi legitur δέμας Ol. I 21, Nem. XI 12, Pyth. III 50.

Δόμος, δῶμα.

Δόμος in Homeri lingua (a rad. δεμ) *aedificium* denotat, sic de deorum *templis*, plerumque sing. num. ut Z 89: οἴξασα κληῗδι θύρας ἱεροῖο δόμοιο, ubi tamen Schol. BLV hunc et praecedentem versum abundare contendit.

η 81: δῦνε δ' Ἐρεχθῆος πυκινὸν δόμον.

De *sede dei* ι 524: Ἄϊδος δόμος et plur. num. X 52: Ἀΐδαο δόμοι.

De *hominum aedibus* sing. num. adhibetur B 513, Z 242, Σ 60, sed saepius plur. num. hoc sensu occurrit, ut E 198,

ϑ 57, ρ 85 et alibi. *Bestiarum stabula* indicantur ζ 134: πύκινον δόμον (de *ovili*) Cf. M 301. De *vesparum cellis* dicitur M 169.

Sed cum de habitatione humana sermo est, sensu adstrictiore etiam *conclave* significat, praesertim virorum sedem, ut α 126:

οἱ δ' ὅτε δή ῥ' ἔντοσθεν ἔσαν δόμου ὑψηλοῖο,
ἔγχος μέν ῥ' ἔστησε φέρων πρὸς κίονα μακρήν.

Cf. vs. 255, χ 291.

Sophocles sensu *domus* non nisi plur. num. adhibet, excepto loco O. C. 1564: Στύγιον δόμον.

Sed et tralate apud eum in usu est denotatque *statum domesticum* s. *fortunas familiares*, plerumque in plurali, O. R. 934: ἀγαθὰ δόμοις τε καὶ πόσει τῷ σῷ, γύναι, Cf. Ant. 584, El. 72, Trach. 842.

Gens significatur O. C. 370: οἷα κάτεσχε τὸν σὸν ἄθλιον δόμον. Cf. Ant. 600, El. 1354, Trach. 895.

Dein *maiorum sedem* et *patriam* indicat sensu latiore, Ai. 509: θεοῖς ἀρᾶται ζῶντα πρὸς δόμους μολεῖν, Cf. 568, O. C. 757, 784, 1338, 1408, 1742; El. 63, Phil. 496.

Passim hoc vocabulum in Aeschyli et Euripidis tragoediis occurrit, idque praeter significationem ex Homero notam, etiam ut apud Sophoclem de *familia* et *patria*. Ex permultis exemplis haec tantum dabimus:

Aesch. Ag. 1011: οὐκ ἔδυ πρόπας δόμος, Cf. Ch. 263.

" Ch. 50: κατασκαφαὶ δόμων, Cf. 159, 480; Pers. 227, Suppl. 433, Sept. 679, 851; Eum. 754.

Eur. Or. 70: ἄπορον χρῆμα δυστυχῶν δόμος.

Phoen. 624: ἐρρέτω πρόπας δόμος.

Troad. 461: καὶ δόμους πέρσασ' Ἀτρειδῶν.

Vid praeterea Alc. 1156, Andr. 550, Heracl. 610, Herc. f 249, Iph. T. 930, Med. 114, Rhes. 159.

Apud eundem poetam vocabula δόμων, δόμοις, δόμους saepissime in trimetrorum fine collocata reperiuntur, quem morem non ex consilio poetae fluxisse quivis intellegit; hodie autem hanc neglegentiam — si modo neglegentiam — ne adverteremus quidem, opinor, nisi in ridiculum eam detorsisset Aristophanes, quater deinceps in Acharnensibus scribendo:

vs. 450: ὦ θύμ', ὁρᾷς γὰρ ὡς ἀπωθοῦμαι δόμων.
vs. 456: λυπηρὸς ἴσθ' ὢν κἀποχώρησον δόμων.
vs. 460: φθείρου λαβὼν τόδ'· ἴσθ' ὀχληρὸς ὢν δομοις.
Cf. vs. 479: ἀνὴρ ὑβρίζει· κλῆε πηκτὰ δωμάτων.

Pindarus plerumque adhibet de *domicilio*, sed *gentis* sensu usurpat Ol. II 49 (45): λείφθη δὲ Θέρσανδρος — 'Αδραστιδᾶν θάλος ἀρωγὸν δόμοις.

Eadem fere valent de voc. δῶμα, quod, non nisi sensu qui dicitur concreto apud Homerum occurrit, ita ut sing. num. *conclave*, praesertim ubi viri versantur (μέγαρον et de virorum et de feminarum sede dicitur), plur. num. *aedes* indicet, qua de re vid. A 600, Z 316, O 58, 251; δ 811, η 82, μ 21, ρ 541, χ 494. Ω 512 legitur sensu *tabernaculi* s. *tentorii:*

τῶν δὲ (Achillis et Priami) στοναχὴ κατὰ δώματ' ὀρώρει.

Domus significatione apud tragicos quoque invenitur, sed ita ut δόμος sic δώματα apud Sophoclem praeterea in usu est pro *gente* O. R 1225 sq.:

εἴπερ ἐγγενῶς ἔτι
τῶν Λαβδακείων ἐντρέπεσθε δωμάτων. Cf. Ter. fr. 517, 17.

Apud Aeschylum etiam sing. num. hoc sensu occurrit, Ag. 410: ἰὼ ἰὼ δῶμα δῶμα καὶ πρόμοι.

In plurali legitur Ch. 692: ὦ δυσπάλαιστε τῶνδε δωμάτων ἀρά, item Sept. 648, Eum. 547, Pers. 300.

De *patria* Suppl. 325: πῶς πατρῷα δώματα λιπεῖν ἔτλητε;

In Euripidis scriptis sing. num. usurpatur de *gentis et familiae fortunis*, ut patet ex El. 1025: ἢ δῶμ' ὀνήσων τἄλλα τ' ἐκσώσων τέκνα ἔκτεινε πολλῶν μίαν ὕπερ Cf. Alc. 286, Herc. f. 905, Or. 620, Phoen. 1489; eodem sensu pluralis legitur Suppl. 5:

ἐν ᾗ με θρέψας ὀλβίοις ἐν δώμασιν κτλ.

Herc. f. 530: τί καινὸν ἦλθε τοῖσδε δώμασιν χρέος; Cf. Alc. 836, El. 404, Hel. 289, 691; Hipp. 626, Ion. 556, Iph. T. 680, Med. 77, Or. 61.

De *patria* accipiendum est Or. 1595: ἢ γὰρ πατρῷον δῶμα πορθήσεις τόδε; itemque plur. num. Iph. A 419: χρόνον παλαιὸν

δωμάτων ἔκδημος ὤν, Cf. Alc. 1076, El. 209, Hel. 1401, Herc. f. 139, 1082; Or. 572, 925, 1325.

PINDARUS Homericam dictionem sequitur, excepto loco ubi de terra, in qua quis domicilium habet, usurpat: Nem. X 2: Ἄργος Ἥρας δῶμα θεοπρεπὲς ὑμνεῖτε.

Ἔρεβος.

Primaria radicis ἐρεβ significatio videtur esse *obscuri, tenebricosi* atque veri simile est cohaerere vocabulum cum ὄρφνη, ὀρφνός, ὀρφναῖος, licet alii referant ad ἐρέφειν, *tegere*, unde ὀροφή et ὄροφος. Derivantur adiectiva ἐρεμνός (= ἐρεβ-νός, Cf. σεμνός = σεβ-νός) et ἐρεβεννός (ex ἐρεβεσ-νός, Cf. ἐραννός ex ἐρασ-νός). Ἔρεβος autem in carminibus Homericis significat *locum subterraneum et caliginosum ubi mortui versantur*, semperque locum illum distinctum indicat et numquam sensu abstracto sumitur pro *caligine*.

Enumerabo locos, ubi in Iliade et Odyssea legitur Ἔρεβος (nam apud Homerum semper littera maiuscula scribendum est): Θ 368:

ἄξοντ' ἐξ Ἐρέβεσφι κύνα στυγεροῖ' Ἀϝίδαο. Cf. I 571, Π 327, κ 528: εἰς Ἔρεβος στρέψας, Cf. μ 81, υ 355 sq.

Adiectivo ἐρεμνός sive ἐρεβεννός HOMERUS utitur ad indicandum id quod *obscurum, furvum*, ὑπὸ ζόφον ἠερόεντα alta nocte repostum. Item alii post eum et frequens hoc est noctis epitheton: Δ 167, Ε 659, 864; Θ 488, Ι 474, Μ 375, Ν 425, Υ 51, Χ 309, λ 606, ω 106, h. Merc. 427.

Apud SOPHOCLEM sensu Homerico vox Ἔρεβος de ipsis mortuorum sedibus est: Ai. 395: Ἔρεβος ὦ φαεννότατον ὡς ἐμοί — ἕλεσθ' ἕλεσθέ μ' οἰκήτορα. Cf. O. C. 1390. Meram *caliginem* infernam denotat Ant. 588 sq: οἶδμα δυσπνόοις ὅταν — Θρῄσσαισιν ἔρεβος ὕφαλον ἐπιδράμῃ πνοαῖς.

Ἐρεμνός apud SOPHOCLEM uno loco legitur: Ant. 700: τοιάδ' ἐρεμνὴ σῖγ' ἐπέρχεται φάτις, ubi Schol. *obscurum* pro *clandestino* adhibitum esse observat: σκοτεινή, λαθραία σου. Nisi potius

poeta indicare voluit rumorem, qui ad certum auctorem referri nequeat et veluti nullo patre natus circumvolitet κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου ἐφάνη, ut in Famae atrio apud Ovidium „commenta vagantur millia rumorum", „dubioque auctore susurri." De sanguine Ai. 376: ἐρεμνὸν αἷμ' ἔδευσα.

Aeschylus substantivo Ἔρεβος non utitur, adiectivum ἐρεμνός de sanguine exstat uno loco Ag. 1390.

Euripides habet Ἔρεβος Homerico sensu Hel. 517 sqq.: ὡς Μενέλαος οὔπω — μελαμφαὲς οἴχεται — δι' Ἔρεβος χθονὶ κρυφθείς. Cf. Or. 177. Ἐρεμνός de Orco Heracl. 219.

In Pindari hymnis huius radicis solum vestigium est ὄρφνα, noctis *tenebrae*, *nox* Ol. I 73, XIII 70. Pyth. I 23.

Ἔγχος.

Satis notum esse opinor, quid sit τὸ ἔγχος in Homericis. Proprie est *hasta*, qua utuntur heroes ad eminus et cominus pugnandum, composita ex hastili (τῷ δορί), cui cuspis (ἀκωκή sive αἰχμή) praefigebatur, ab altera parte σαυρωτήρ s. οὐρίαχος adiectus erat. Exempla excribere opus non est, passim apud Homerum legitur haec vox et locutionem προΐει δολιχόσκιον ἔγχος satis tritam et vulgatam esse arbitror.

Apud Homerum semper *hastam* significare, observare solebat Aristarchus; vid. Aristonicus ad H 273: καὶ νύ κε δὴ ξιφέεσσ'] ἡ διπλῆ, ὅτι ἀρτίως ἐπὶ τὸ τοῖς ξίφεσι χρῆσθαι ἐληλύθασιν. ὅταν δὲ λέγῃ „τὼ δ' ἐκσπασσαμένω δολίχ' ἔγχεα" (225) τὰ δόρατα λέγει ἐκ τῶν ἀσπίδων ἀνεσπάσαντο.

Seriores sibi in mentem induxerunt poetice atque adeo ὁμηρικῶς de quovis telo usurpari posse ἔγχος, hinc apud Sophoclem saepius pro *gladio* adhibetur. *Telum* quodcunque denotat, O. R. 969: ἄψαυστος ἔγχους. Cf. O. C. 699, Trach. 1013.

Gladium significat Ai. 95: ἔβαψας ἔγχος εὖ πρὸς Ἀργείων στρατῷ, ubi Pallas Aiacem dementem de iugulatis modo ovibus interrogat. Item 287, 907; 658 autem *gladium* suum Aiax vocat ἔχθιστον βελῶν, unde apparet Sophocli non vivere haec vocabula epica, sed ad exornandam dictionem cothurnatam inser-

vire, nam neque *gladius* dici potest ἔγχος nisi vis inferatur linguae neque βέλος, *missile*, adhiberi nisi de telis, quae eminus mittuntur, ut hastae, iacula, sagittae, lapides. Ad *vim consilii*, qua malum avertitur, transfertur ἔγχος O. R. 170: οὐδ' ἔνι φροντίδος ἔγχος, ᾧ τις ἀλέξεται, ubi Schol. explicat: οὐδ' ἔνεστι μηχανῆς, ἐπινοίας δύναμις.

Aeschylus usum Homericum sequitur Pers. 240, fr. 360, Euripides vero est ubi hanc consuetudinem non observat, Alc. 75 sq.: ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν — ὅτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἁγνίσει τρίχα. Phoen. 565, 1383, 1413; El. 695.

Pindarus semper de *hasta* habet, de *venabulo* Pyth. IX 28.

Ζῶμα.

Apud Homerum non dicitur de mulierum cingulo, sed est bellatorum *cingulum aeneum* s. *coriaceum laminis aeneis tectum*, ad genua pertinens. Schol. Δ 133: ἡ διπλῆ, ὅτι καθ' ὃν τόπον ἐζώννυντο διπλοῦς ἦν ὁ θώραξ, καθὸ ὑπεβέβλητο τῷ στατῷ θώρακι τὸ λεγόμενον ζῶμα, καθῆκον μέχρι τῶν γονάτων ἀπὸ τῶν λαγόνων. Ergo τὸ ζῶμα intra loricam latet sed cingulum, quod extra iniicitur ad loricam continendam, vocatur ζωστήρ. Perperam Hesychius: ζῶμα ᾧ ἐπάνω τοῦ θώρακος ἐχρῶντο. Mulierum ζωνή est (Ξ 181, ε 231, 544, λ 245, h. Ven. 255), uno loco ζῶστρον, ζ 38:

ἡμιόνους καὶ ἅμαξαν ἐφοπλίσαι, ἥ κεν ἄγῃσιν
ζῶστρά τε καὶ πέπλους καὶ ῥήγεα σιγαλόεντα,

ubi tamen de virorum quoque cingulis accipi potest. Δ 186 sq.: ἐρρύσατο ζωστήρ τε παναίολος ἠδ' ὑπένερθε ζῶμά τε καὶ μίτρη, τὴν χαλκῆες κάμον ἄνδρες, Cf. 215 sq. Ζῶμα igitur *tunicae cingulum* esse videtur et ζωστήρ *loricae*.

ξ 482: ἀλλ' ἑπόμην σάκος οἶον ἔχων καὶ ζῶμα φαεινόν,
sunt verba Ulixis nondum a suis agniti in lepida narratiuncula, quam cum Eumaeo communicat. Dicit se cum Ulixe et Menelao ante Troiam hostibus insidias struxisse. Postquam diu inter vepres et virgulta delituerunt nox supervenit, nives cadere coeperunt, glacies in clipeis obduruit. Tunc ceteri, palliis

instructi, a gelu se defendere poterant, sed illi, qui nihil habebat nisi σάκος et ζῶμα, nocturna frigora erant perferenda. Hinc quoque patet τὸ ζῶμα inserviisse tunicam tegendo, nam Ulixem tunica tantum indutum fuisse constat ex ipsius verbis: alii χλαίνας ἠδὲ χιτῶνας (vs. 478) habebant, at ille erat οἰοχίτων (vs. 489: παρά μ' ἤπαφε δαίμων – οἰοχίτων' ἔμεναι). Ceterum in tota narratione nusquam iniicitur τοῦ θώρακος mentio, quod viris in insidiis collocatis non conveniret eorumque motus impediret.

Vid. Lehrsium de Ar. Stud. Hom. p. 125 sq.

Apud Sophoclem ζῶμα, quo occurrit loco, *mulieris cingulum* indicat, contra Homericam consuetudinem, El. 452:

> ἄχω, δὸς αὐτῷ τήνδ' ἀλιπαρῆ τρίχα
> καὶ ζῶμα τοὐμὸν οὐ χλιδαῖς ἠσκημένον.

Aeschylus de *tunicae* specie usurpat fr. 226. Hesychius πεζοφόρος ζώμασιν: Αἰσχύλος Τοξότισιν, ὥσπερ πέζαν ἐχόντων τῶν χιτώνων, τινὲς δὲ ποδήρεσι. Haec πεζοφόρα ζώματα ex Aeschylo commemorat etiam Pollux VII 51.

Euripides hac voce non utitur neque apud Pindarum occurrit.

Θίς.

Uno loco in carminibus epicis *acervum* denotat, scil. μ 45, ubi sermo est de cadaveribus eorum qui Sirenum cantu decepti sunt, πολὺς δ' ἀμφ' ὀστεόφιν θὶς ἀνδρῶν πυθομένων. Sed vulgo de *arenis* in maris litore usitatum est, cum praep. παρὰ et ἐπὶ coniunctum, (ϐῆ δ' ἀκέων παρὰ θῖνα simm)

Haec significatio apud Sophoclem quoque valet, Phil. 1124, sed ad *maris fundum* indicandum usurpatur Ant. 591: ἔρεβος ὕφαλον — κυλίνδει βυσσόθεν κελαινὰν — θῖνα, ut Virgilius Georg. III 240: *ima exaestuat unda Verticibus nigramque alte subiectat arenam*, Cf. Aen. I 107: *furit aestus arenis;* Ovidius Med. XI

499: *fulvas ex imo verrit arenas.* Cf. Aristophaneum illud in Vespis 696, ubi figurate dicitur ὥς μου τὴν θῖνα ταράσσεις, quae verba apte interpres Germanus vertit: „wie wühlst du mir den Grund des Herzens auf."

Aeschylus usum Homeri observat Pers. 818: θῖνες νεκρῶν et fr. 335 de *litore.* Item Euripides Andr. 109; apud Pindarum non legitur θίς.

Κάρη.

In lingua Homerica non de toto capite usurpatur sed superiorem eius partem indicat, quae cerebrum continet crinibusque tecta est, *verticem* igitur vel *calvam*, nostrum „hersenpan" sive „kruin." Quamquam non nimis urgendam esse hanc significationem sed passim recte verti posse *caput* facile intelligitur. Dicitur autem cum de hominibus, tum de animalibus, et tralate etiam de montis cacumine usurpari potest: (Υ 5: κρατὸς ἀπ' Οὐλύμποιο πολυπτύχου), ut alibi δειραί etc. tribuuntur montibus. Hoc tamen sensu saepius sumitur plur. κάρηνα (A 44, B 869, Υ 58, α 102), quod de urbium quoque *arcibus* adhibetur, (B 117, I 24). Praeterea *ultimam* portus *partem* indicat, ι 140: αὐτὰρ ἐπὶ κρατὸς λιμένος ῥέει ἀγλαὸν ὕδωρ. Cf. ν 102, 346.

Haec omnia etiam apud Sophoclem observari possunt, qui semper utitur forma κάρᾱ, sed apud eum etiam transfertur ad *vultum* indicandum. El. 1310: γέλωτι φαιδρὸν τοὐμὸν ὄψεται κάρα. Cf. O. C. 555, ubi τὸ δύστηνον κάρα accipiendum est de *caeco* Oedipi *vultu;* Cf. Ant. 764.

Notandum quoque hoc vocabulum circumlocutioni inservire, ut Ant. 1: ὦ κοινὸν αὐτάδελφον Ἰσμήνης κάρα, cf. O. R. 40, 950, 1207, 1235. O. C. 321, 1657. — Cum solo adiectivo ita adhibitum est O. C. 1631: ὦ φίλον κάρα, cf. Ant. 899, 915; El. 1164. Sic poetae epici loqui non magis potuissent quam nostratum alicui in mentem venire posset amicum alloqui: „o dierbre kruin!" In talibus locutionibus Homerus utitur voce κεφαλή, e. g.

Θ 281: Τεῦκρε, φίλη κεφαλή, Τελαμώνιε, κοίρανε λαῶν.

Ψ 94: τίπτε μοι, ἠθείη κεφαλή, δεῦρ' εἰλήλουθας;

α 343: τοίην γὰρ κεφαλὴν ποθέω μεμνημένη αἰεί.

Cf. Λ 55, Ο 39, Σ 82, Ω 276.

Scilicet vivit vox cantoribus epicis, intermortua est tragicorum tempore nec nisi exornandae dictioni inservit, ne cum plebecula loquantur heroes: his igitur κάρα idem iam est quod κεφαλή spectatoribus [1]).

Quod ad genitivum ceterosque casus attinet, observandum est inveniri apud utrumque poetam gen. κρατός; dat. κρατί; acc. κρᾶτα in Homericis non nisi ϑ 92 reperitur; est autem pluralis, qui illic pro singulari usurpatur. Quae res tragicos in errorem videtur abduxisse.

Sophocles enim, qui huius rei est novator secundum Eustathium 700, 73 (παρὰ Σοφοκλεῖ καὶ τὸ κρᾶτα εὕρηται καινότερον) singularem τὸ κρᾶτα habet. Phil. 1457: οὗ πολλάκι δὴ τοὐμὸν ἐτέγχθη κρᾶτ' ἐνδόμυχον πληγαῖσι νότου. O. R. 263: νῦν δ' εἰς τὸ κείνου κρᾶτ' ἐνήλαθ' ἡ τύχη. Item Ant. 764, Phil. 1001, 1207; Trach. 1015. Acc. plur. est. O. C. 473: ὧν κρᾶτ' ἔρεψον καὶ λαβὰς ἀμφιστόμους.

Aeschylus Homerum sequitur Pers. 208, Ag. 1615, Ch. 230, Eum. 165, fr. 179. In allocutione Ag. 905: φίλον κάρα. Sic plur. κάρηνα δαΐξας Ch. 396.

Euripides saepissime hoc vocabulo utitur ad personam indicandam, ut. Or. 225. 237, Hipp. 651, Suppl. 631 et alibi. Ad *vultum* transfertur Hipp. 1050: ὡς σὸν ἐχθαίρω κάρα, i. e. *tantopere vultum et aspectum tuum detestor*. Cf. Med. 1152, Iph. A. 1212, 1549; Bacch. 684, 1311; El. 1195. Compluribus locis etiam Euripides habet acc. sing. κρᾶτα, Hec. 653, Or. 964, Phoen. 1166, Hipp. 1203, Suppl. 289, Iph. A. 436, Tr. 279, Bacch. 185, Cycl. 228, Herc. f. 567.

---

[1]) Ne tamen iniuste cum Sophocle agere videar, in annotatione observo, pluralem κάρηνα etiam in carmine epico adhibitum inveniri ad totos homines indicandos: Λ 158, 500: Τρώων vel ἀνδρῶν 'πῖπτε κάρηνα, et cui non nota sunt mortuorum ἀμένηνα κάρηνα κ 521 etc ?

Sic Pindarus quoque uti videtur Pyth. XII 16 εὐπαράου κρᾶτα συλάσαις Μεδοίσας υἱὸς Δανάας. Ceterum semper de capite Nem. I 63, Isthm. III 87 (IV 69) Pyth. X 46. — Sing. κάρηνον legitur Hymn. VIII 12; XXVIII 8.

Κήρ.

Hoc vocabulum apud Homerum *fatum singulis hominibus destinatum* indicat, contra μοῖρα est *mors omnibus communis.* Nusquam κήρ in Il. et Od. personae formam induit, saepiusque coniunguntur voces κῆρες θανάτοιο, quae hominibus causae mortis sunt. Non semper tamen κήρ est fatum, quo quid funditus perit sed sensu adstrictiore *sors*, qua quid cladi destinatur; ut Θ 70: ἐν δ' ἐτίθει δύο κῆρε τανηλεγέος θανάτοιο, ubi Aristonicus haec annotat: δύο κῆρε: μίαν ὑπὲρ ἑκατέρου στρατεύματος· καὶ ὅτι τὰς θανατοφόρους μοῖρας λέγει. ὁ δὲ Αἰσχύλος νομίσας λέγεσθαι τὰς ψυχάς, ἐποίησε τὴν Ψυχοστασίαν, ἐν ᾗ ἐστὶν ὁ Ζεὺς ἱστὰς ἐν τῷ ζυγῷ τὴν τοῦ Μέμνονος και 'Αχιλλέως ψυχήν. Item ad Χ 210: ἡ διπλῆ, ὅτι ἐντεῦθεν ἡ ψυχοστασία Αἰσχύλου πέπλασται, ὡς τοῦ Διὸς τὰς ψυχὰς ἱστάντος, οὐ θανατηφόρους μοίρας.

Ex hac postrema significatione profluxit ut apud Sophoclem κήρ *calamitatem* indicet: Phil. 42: πῶς γὰρ ἂν νοσῶν ἀνὴρ — κῶλον παλαιᾷ κηρὶ προσβαίη μακράν; Cf. 1166 ubi iterum de Philoctetae pedis morbo sermo est: ἐπὶ σοὶ κῆρα τάνδ' ἀποφεύγειν. Ceterum generali sensu *quidquid mali* denotat, e. g. Trach. 454: ὡς ἐλευθέρῳ — ψευδεῖ καλεῖσθαι κὴρ πρόσεστιν οὐ καλή ubi κήρ *contumeliam* significat.

Plurali numero Furias indicat O. R. 472: δειναὶ θ' ἅμ' ἕπονται Κῆρες ἀναπλάκητοι.

Aeschylus item sensu *mali* habet Sept. 777 de Sphinge: τὰν ἁρπαξάνδρον κῆρ' ἀφελόντα (i. e. Oedipum) χώρας. Cf. 1055 ubi Erinyes φθερσιγενεῖς κῆρες vocantur; Ag. 206: βαρεῖα μὲν κὴρ τὸ μὴ πιθέσθαι, ubi potius *poena*, *vindicta* est.

Apud Euripidem *mortem* indicat Phoen. 957: μέλαιναν κῆρ' ἐπ' ὄμμασιν βαλών. *Malum*, *calamitatem* vocat Andromache

Helenam Tr. 771: πολλοῖσι κῆρα βαρβάροις Ἕλλησί τε. Cf. Herc. f. 481. — Significantur *Furiae* El. 1252: δειναὶ Κῆρες Cf. 1300, Herc. f. 870.

Indicantur *Parcae* apud PINDARUM fr. 277 (245): Κῆρες ὀλβοθρέμμονες φησὶ Πίνδαρος, μεριμναμάτων ἀλεγεινῶν.

Νέμεσις.

Apud HOMERUM semper est appellativum significatque *indignationem* et *vituperationem* hominum ob rem parum honestam. Z 351 Helena alloquitur Hectorem et queritur: δᾶερ ἐμεῖο — ἀνδρὸς ἔπειτ' ὤφειλον ἀμείνονος ἔμμεν' ἄκοιτις ὃς ᾽ϝείδει νέμεσίν τε καὶ αἴσχεα πόλλ' ἀνθρώπων (Cf. N 122, β 136), i. e. *ita ut cavere possit ne in indignationem et vituperationem hominum incidat.* Schol. B: ᾔδει πρὸς τὸ φυλάσσεσθαι καὶ μὴ εἰς αὐτὰ ἐμπίπτειν (fortasse leg. deleto καί: μὴ εἰς αὐτὰ ἐμπίπτῃ). Locutio οὐ νέμεσις s. οὔ τις νέμεσις cum sequenti Inf. aut. acc. c. inf. significat: *non est quod vituperetur*, servitque ad passivum exprimendum verbi νεμεσίζομαι, e. g. Γ 156: οὐ νέμεσις Τρῶας καὶ εὐκνήμιδας Ἀχαιοὺς τοιῇδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν, Cf. α 350.

SOPHOCLES fortius adhibet ad indicandam *vindictam ex indignatione ortam* idque deorum, Phil. 602: θεῶν βία καὶ νέμεσις, οἵπερ ἔργ' ἀμύνουσιν κακά, Cf. 518. *Nefas* est O. C. 1753: πενθεῖν οὐ χρή· νέμεσις γάρ. Cf. El. 1467.

Dea, *vindictam sumens* denotatur El. 792: ἄκουε Νέμεσι τοῦ θανόντος ἀρτίως, ubi Schol. Demetrius: Νέμεσις θεὰ μεμφομένη τοὺς τοῖς θανοῦσιν ἐφυβρίζοντας καὶ τούτους τιμωρουμένη.

AESCHYLUS habet primario sensu sed adiecta significatione *invidiae*, *indignationis non iustae.* Sept. 225: τίς τάδε νέμεσις στυγεῖ; *Nemesis dea* significatur fr. 257, 4: ἡμῶν γε μέντοι Νέμεσίς ἐσθ' ὑπερτέρα.

EURIPIDES semper utitur hac voce sensu *vindictae* Or. 1362: θεῶν νέμεσις. Cf. Phoen. 189, fr. inc. XXVI 4.

Sic PINDARUS quoque Pyth. X 44 quo loco dicuntur Hyper-

borei: *φυγόντες ὑπέρδικον νέμεσιν*, ubi etiam *Νέμεσιν* legi potest. Eadem dubitatio est Ol. VIII 86: *εὔχομαι ἀμφὶ καλῶν μοίρᾳ Νέμεσιν διχόβουλον μὴ θέμεν.* Ad sensum tamen prope idem est.

Ῥέθος.

Hoc vocabulum non nisi Gen. plur. apud Homerum legitur *ῥεθέων* sensu *membrorum*; nempe Π 856: (= X 362): *ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη Ἄϊδόσδ' ἐβεβήκει*, et X 68: *ἐπεί κέ τις ὀξέϊ χαλκῷ τύψας ἠὲ βαλὼν ῥεθέων ἐκ θυμὸν ἕληται.*

Alias in huiusmodi locutionibus utitur poeta voce *μελέων.*

Apud tragicos sing. num occurrit sensu *faciei*; nempe Soph. Ant. 529: *νεφέλη δ' ὀφρύων ὕπερ αἱματόεν – ῥέθος αἰσχύνει* et Eurip. Herc. f. 1204 sq.: *πάρες ἀπ' ὀμμάτων πέπλον, ἀπόδικε, ῥέθος ἀελίῳ δεῖξον.*

Non extat in Aeschyli Pindarique scriptis.

Restat ut pauca dicam de voce *πύλη*, licet non sit proprium hoc vocabulum tragicorum apparatui poetico, nam sexcenties apud scriptores pedestres legitur. Est tamen usus neque epicus neque prosaicus huius vocabuli apud Sophoclem. Primum igitur notandum videtur apud Homerum numquam confundi vocabula *πύλη* et *θύρα*, priorem vocem semper de *porta muri* s. *urbis* usurpari, alteram de *ianua*, ita ut *θύραι* (sc. *δικλίδες*) apud eum sint *ianua bivalva*, „porte-brisée." Vid. Schol. ad. X 69, ubi codices tantum non omnes exhibent (vs. 66 sqq.): *πύματόν με κύνες πρώτῃσι θύρῃσιν ὠμησταὶ ἐρύουσιν — οὓς τρέφον ἐν μεγάροισι τραπεζῆας θυραωρούς*; ad hunc locumSchol. A haec habet: *πυλαωρούς*: *Ἀρίσταρχος θυραωρούς, θυροφυλάκας* et Schol. B: *Ἡροδιανὸς θυραωρούς γράφει· πύλας γὰρ ἐπὶ πόλεων φησι.* Quam Aristarchi lectionem unice veram solus Syr. rescriptus praebet in textu. Bene autem habet *πυλαωρούς* Φ 530 et Ω 681. Ceterum vocis *πύλη* singularis non legitur apud Homerum, duplices enim esse solent portae urbium.

Sophoclem inspicientibus cito apparet *πύλη* etiam ad ianuam indicandam, pro *θύρα* igitur, usurpari: Ai. 11: *καί σ' οὐδὲν εἴσω τῆσδε παπταίνειν πύλης ἔτ' ἔργον ἐστίν*, ubi mentio fit de

Aiacis tentorio. Hoc loco tamen legere malim στέγης. Ibid. 49: ἤδη ἐπὶ δισσαῖς ἦν στρατηγίσιν πύλαις, ubi significatur *ianua bivalva* tentorii τοῖν δισσοῖν 'Ατρείδαιν, fores praetorii, Cf. O. R. 1241, 1261, 1294; Ant. 1186, El. 818, 1458; fr. inc. πύλης ἄναξ θυρωρέ.

Aeschylus quoque contra morem Homericum peccat, quamquam ut ille semper plurali numero utitur; passim legitur in Septem c. Theb. idque sensu *portae urbis*, sed est ubi simpliciter *ostii* s. *ianuae* sensu adhibet. Choeph. 561: ἥξω σὺν ἀνδρὶ τῷδ' ἐφ' ἑρκείους πύλας, ubi ἑρκείους πύλας i q. αὐλείους θύρας, nam ἕρκος erat *aulae saeptum;* Photius Ἕρκειος Ζεύς: ᾧ βωμοὶ ἐντὸς ἕρκους ἐν τῇ αὐλῇ ἵδρυνται, τὸν γὰρ περίβολον ἕρκος ἔλεγον, Cf. 569, 571, 732, 878. Cum Aesch. Choeph. 561 apte comparari potest Euripideum Hel. 438: πρὸς αὐλείοισιν ἑστηκὼς πύλαις, Cf. Or. 1281, fr. Pel. I, ubi Ἰὼ πύλαισιν ἥτις ἐν δόμοις melius legitur δόμων. Non mirum est igitur etiam πυλωρός et θυρωρός confundi Iph. T. 1153:

ποῦ 'σθ' ἡ πυλωρὸς τῶνδε δωμάτων γυνή—Ἑλληνίς;

Ne Pindarus quidem usum Homericum observavit, sed usurpat de *aedium ostio* Nem. I 41: τοὶ μὲν οἰχθεισᾶν πυλᾶν ἐς θαλάμου μυχὸν εὐρὺν ἔβαν. Metaphorice Ol. VI 27: χρὴ τοίνυν πύλας ὕμνων ἀναπιτνάμεν. Notae quoque sunt Ἀϝίδαο πύλαι ex Homero, Euripide Hec. I: σκότου πύλαι. Cf. Hipp. 1447, Aesch. Ag. 1291, Soph. O. C. 1569.

Iam progredior ad adiectiva, quorum tamen pauca sunt, quae operae pretium sit diligentius investigare. Initium faciam disserendo breviter de adiectivis δάιος, μέλεος, τλήμων, τλητός

Δήιος apud Homerum proprie est *urens* a rad. δαϝ (Cf. δαίω, δαΐς); δήιον πῦρ B 415, Z 331 et saepius, de bello autem dictum significat *hostilis* H 119, 174, item de hominibus Z 481 et nonnumquam substantive i. q. *hostes*, B 554, Δ 373.

Sic forma Attica δάϊος plerumque apud Sophoclem *hostilis* denotat Ai. 365, O. C. 699, 1044, uno loco tamen excepto, ubi

miser est, Ai. 784: ὦ δαΐα Τέκμησσα, δύσμορον γένος, ubi Schol. δάϊον, κοινῶς τὸ πολέμιον· Ἀττικῶς δὲ τὸ δύστηνον. Alii *formidolosa* explicant sec. Hesych. δαΐα, φοβερά.

Utramque etiam apud Aeschylum invenimus significationem; *hostilis* est Pr. 352, 423; Sept. 146, 222; Pers. 257, 271; Ag. 559; Ch. 628; Eum. 160, Suppl. 1075. Ipsi *hostes* dicuntur δάϊοι, Sept. 119, 278; Pers. 286. *Formidabilis* sensu dictum legitur fr. eleg. 477: δάϊος ἀντιπάλοις. *Miser* et *perditus* est Pers. 985: ἰωὼ δᾴων, Cf. 282; Ch. 429.

Euripidi est *lucens* Cycl. 512: λύχνα δάια, *hostilis* Ion. 214: τὸν δάιον Μίμαντα, ubi tamen etiam *formidabilem* significare potest; Cf. Rhes. 135, Herc. f. 914 sq., Andr. 838, Tr. 1301, Phoen. 248, 1030 (δάϊον τέρας, *horribile portentum*), 1308; Andr. 827, Iph. A. 1495. Uno loco nescio an verti possit *miser*: Andr. 507: θῦμα δάϊον.

Apud Pindarum *hostilis* est: Nem. IV 38, VIII 28.

Quid interesset inter vocabulum μέλεος apud Homerum tragicosque iam notarunt antiqui: K 480: οὐδέ τί σε χρὴ ἑστάμεναι μέλεον σὺν τεύχεσιν ubi Aristonicus: ἡ διπλῆ, ὅτι οἱ νεώτεροι μέλεον τὸν ἀτυχῆ, ὁ δὲ Ὅμηρος ἀντὶ τοῦ ματαίως. Videtur igitur Aristarchus μέλεον h. l. pro adverbio habuisse, quod non opus est. Cf. Schol. Π 336 ubi adverbiascit μέλεον: μέλεον δ' ἠκόντισαν ἄμφω, ἡ διπλῆ, ὅτι μέλεον ἀντὶ τοῦ μελέως ματαίως. καὶ διὰ παντὸς οὕτως Ὅμηρος χρῆται· οἱ δὲ τραγικοὶ ἐπὶ τοῦ οἰκτροῦ καὶ τάλανος. Ceterum adiective legitur apud Homerum Φ 473, Ψ 795, ε 416.

Ut reliqui tragici sic Sophocles quoque habet hanc vocem sensu *miseri*, *infelicis* (non nisi in partibus lyricis legitur) O. R. 479: μέλεος μελέῳ ποδὶ χηρεύων, Ant. 977: μέλεοι μελέαν πάθαν κλαῖον. Item O. C. 241, Ant. 1319, 1341; Trach. 972, 981, 996, 1042; Phil. 714, 1091, 1126.

Accedit *indignationis* notio, ut in vocabulis δύστηνος, τάλας, τλήμων sim., Ai. 621:

ἄφιλα παρ' ἀφίλοις
ἔπεσ' ἔπεσε μελέοις Ἀτρείδαις.

Apud Aeschylum *miser* est Sept. 779: μέλεος ἀθλίων γάμων, Cf. 878, 947, Ag. 716, Suppl. 111.

Cum *indignatione* dictum est Sept. 876: πατρῴους δόμους ἑλόντες μέλεοι σὺν ἀλκᾷ, Cf. Ch. 1007.

In EURIPIDIS tragoediis satis frequens est hoc vocabulum, praesertim in chori canticis. Exemplo sit Hel. 1107 sqq., ubi intra versus sex et viginti quater occurrit, scil. vs. 1113: Ἑλένας μελέας, cum indignatione quadam dictum; deinde vs. 1118: μέλεα Πριαμίδαις ἄγων — λέχεα i. e. *perniciosum connubium Troianis afferens*, nempe Paris αἰνόγαμος Helenam uxorem ducendo Troianos in bellum involvit; item vs. 1123: Ἅιδαν μέλεον, *Tartarum exitialem*, denique vs. 1132: ἀλίμενα δ' ὄρεα μέλεα, eodem sensu cui accedit *miserae solitudinis* notio.

Ceterum *indignanter* adhibitum est Cycl. 80: ἐν τράγου χλαίνᾳ μελέᾳ, Cf. Iph. T. 868.

Miser, *infelix* est Or. 670: ὦ μέλεος ἐμῶν κακῶν, Cf. Andr. 107, Hec. 151, Ion. 900, Med. 96, Phoen. 876, Tr. 106.

Quod genus dicendi iocose exhibet Aristophanes in Vespis vs. 312: τί με δῆτ', ὦ μελέα μᾶτερ, ἔτικτες; quae verba desumpta esse ex Euripidis fabula Theseo non est cur dubitemus. (Vid. fr. Thes. III).

Apud PINDARUM non extat adiectivum.

Τλήμων, τλητός, τάλας.

Τλήμων est a radice τλα significatque apud HOMERUM eum qui multa perferre potest, *laboris* igitur *patientem*. Apud posteriores vero est is qui multa perferre debet debuitve, ergo *miserum*; rectissime Aristonicus dicit ad E 670: τλήμονα θυμὸν ἔχων: ἡ διπλῆ, ὅτι οἱ νεώτεροι τλήμονα τὸν ἀτυχῆ, ὁ δὲ Ὅμηρος τὸν ὑπομενετικόν, ἀπὸ τοῦ τλῆναι. Vid. insuper K 231, Φ 430.

Antiquiorem sensum apud tragicos fortasse agnoscas uno loco Sophocleo O. R. 1175: τεκοῦσα τλήμων; *an mater hoc facere sustinuit?* Sed et verti potest: *quid? misera mater hoc fecit?*

Ubique alias apud SOPHOCLEM est *miser*, *infelix*, e.g. O. R. 1193: ὦ τλάμων Οἰδιπόδα Cf. 1267, 1299, 1308, 1331; O. C. 185, 351; Ant. 1228, Ai. 600, 641; El. 602, 1477; Trach. 841, 1112;

Phil. 161, 923. Accedit nonnumquam notio *scelesti* et *perditi*, ut Lat. *miser*, nisi potius ex altera radicis τλα notione *sustinendi*, *audendi* significationem *audacis* habeat, cf. supra O. R. 1175.

El. 275: ἡ δ' ὧδε τλήμων ὥστε τῷ μιάστορι ξύνεστι.

Ibid 439 sq.: εἰ μὴ τλημονεστάτη γυνὴ πασῶν ἔβλαστε.

Suid. i. v. τλήμων: τολμηρός, ἤγουν ἀναιδής.

Aeschylus adhibet *miseri* sensu Prom. 614: τλῆμον Προμηθεῦ Ag. 1312: ἀλλ' ἴσθι, τλῆμον, οὐδ' ἀπ' εὐτόλμου φρενός, ubi recepi emendationem Keckii τλῆμον οὐδ' pro τλήμων οὖσ' scribentis. Cf. Sept. 364, Pers. 912, Ag. 1321, Eum. 506, fr. 449.

Audax est Ch. 384: βροτῶν τλάμονι καὶ πανούργῳ χειρί, item vss. 596 et 933.

In Euripideis *miserum* denotat El. 233: ποῦ γῆς ὁ τλήμων τλήμονας φυγὰς ἔχων; Hec 562: ἔλεξε πάντων τλημονέστατον λόγον, c. gen. Hipp. 554: ὦ τλάμων ὑμεναίων i. e. *o miseram propter connubium*, ut supra μέλεος c. gen. Cf. praeterea de hoc significatu Bacch. 1350, El. 505, Med. 1068.

Cum *indignatione* dictum adhibet poeta Suppl. 119: τοιαῦτ' ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται. Cf. Hipp. 1177, Iph. A. 1132, Med. 865, 1274.

Pindarus habet Homerico sensu *patientis* Pyth. I 48: τλάμονι ψυχᾷ παρέμεινε.

Τλητός apud Homerum legitur sensu activo ad *tolerandum aptus*, *patiens*. Uno tantum loco legitur, scil. Ω 49:

τλητὸν γὰρ μοῖραι θυμὸν θέσαν ἀνθρώποισιν.

Sophocles habet passive, *ferendus*, sicut formae adiectivi verbalis convenit Ai. 466: οὐκ ἔστι τοὔργον τλητόν.

Sic Aeschylus quoque Prom. 1065: οὐ — τλητὸν παρέσυρας ἔπος et Euripides in Alcestide vs. 887: οὐ τλητὸν ὁρᾶν. Hipp. 846: οὐ τλητὸν οὐδὲ ῥητόν. In transitu notandum videtur adi. verb. ῥητός apud Hom. indicare *quod dictum* s. *constitutum est*, e. g. Φ 445: μισθῷ ἐπὶ ῥητῷ, Cf. πύκα ποιητός. Apud seriores autem significat *quod dici potest* s. *fas est*, e. g. Soph. O. R. 993 ἦ ῥητόν; ἢ οὐ θεμιστὸν ἄλλον εἰδέναι; cf. O. C. 1061, Phil. 756. Aesch. Prom. 765 sq.:

θέορτον ἢ βρότειον ; εἰ ῥητὸν , φράσον.
τί δ' ἔντιν' ; οὐ γὰρ ῥητὸν αὐδᾶσθαι τάδε.

De voce τλητός vid. praeterea Hec. 157 et Med. 797.

Τάλας ab eodem radice atque τλήμων et τλητός apud HOMERUM cum *indignatione* dictum extat σ 327:

ξεῖνε τάλαν, σύ γέ τις φρένας ἐκπεπαταγμένος ἐσσι
et τ 68: ἀλλ' ἔξελθε θύραζε, τάλαν, καὶ δαιτὸς ὄνησο ,

quod nos diceremus „brutale kerel". Item ἔρρε τάλαν in Hymn. Merc. vs. 160.

Eodemmodo dictum apparet in SOPHOCLIS Trach. 792: τὸ δυσπάρευνον λέκτρον σοῦ τῆς ταλαίνης, 878: τάλαιν' ὀλεθρία, 1084: ἡ τάλαινα δίαβορος νόσος.

Sic AESCHYLUS quoque hanc vocem usurpat Ch. 1069: μόχθοι τάλανές τε Θυέστου, Cf. Sept. 262, 695; Ch. 605.

Item EURIPIDES Hipp. 1241: ὦ πατρὸς τάλαιν' ἀρά, Cf. Hel. 248. Apud Theocritum Oar. 56 legitur μίμνε τάλαν, i. e. *manus abstine!* Eodemmodo apud eum dicitur voc. δυστανός in versu δυστανέ, τί μευ τὸ χιτώνιον ἄρδεις; (Adon. 31).

Sic apud seriores vocabula μοχθηρός et πονηρός occurrere pernotum est: etiam σχέτλιος (Aesch. Prom. 644, Eur. Hec. 783) et στυγερός (Soph. Ant. 144) i. q. τλήμων significant, sed proprio *miseri* sensu.

Haud abs re fuerit hoc loco paulisper in radice τλα subsistere, unde formae ἔτλην, τέτληκα etc. Radicis τλα primitiva significatio est *ferre*, in lingua Latina superest in formis *lātum* pro *tlātum* (Cf. τλητός), *tuli* pro *tetuli*, *tolerare* sim. Apud Graecos τελαμών est *balteus ad ensem ferendum*, „draagriem", πολύτλας est qui „*multa tulit*", ταλάϝρινος est *clipeum gerens*, φέρασπις. Hac primaria notione *ferendi*, *tolerandi*, *patiendi* saepius apud HOMERUM occurrit, ut e. g. in nota locutione τετληότι θυμῷ, *patienter* δ 447, λ 181, Ψ 100. Cf. κραδίη τετληυῖα υ 23. Vid. praeterea A 586, E 385, P 490, Σ 433, T 308, ε 362, ν 307, υ 311.

Nonnumquam tamen usurpatur sensu *a se impetrandi*, *sustenendi* s. *audendi*, e. g. A 227 sq.:

οὔτε λόχονδ' ἴμεναι σὺν ἀριστήεσσιν 'Αχαιῶν
τέτληκας θυμῷ. Cf. 453, Δ 94, Υ 421, Χ 136, Ω 505, 519; β 82, δ 716, λ 425.

Apud SOPHOCLEM perraro primario sensu legitur, idque O. C. 1075: τᾶν δεινὰ τλασᾶν πάθη. Altero sensu tamen saepissime occurrit, e. g. Ai. 410 sq.:

ὢ δυστάλαινα, τοιάδ' ἄνδρα χρήσιμον
φωνεῖν, ἃ πρόσθεν οὗτος οὐκ ἔτλη ποτ' ἄν.

Cf. 917, O. R. 602, 1327; El. 531, Trach. 71, 898; Phil. 475, 537.

AESCHYLUS verbum adhibet primitiva significatione Prom. 704: οἷα χρὴ πάθη τλῆναι, Cf. Ag. 1290, 1453; Ch. 753. Sensu secundario legitur Prom. 657: πατρὶ ἔτλην γεγωνεῖν, Cf. Ag. 229, 408, 1041; Ch. 433, Sept. 756, Suppl. 240, 326, 429.

EURIPIDES sensu *sustinendi* habet Alc. 275: μή πρός σε θεῶν τλῇς με προδοῦναι. (Cf. 277: ἀλλ' ἄνα τόλμα) Vid. praeterea vs. 462, Cycl. 287, El. 278, Med. 1326.

Primaria notione habet PINDARUS Pyth. III 41: οὐκέτι τλάσομαι ψυχᾷ γένος ἁμὸν ὀλέσσαι οἰκτροτάτῳ θανάτῳ, Cf. Isthm. VI (VII 37), secundaria Pyth. IV 276: τλᾶθι τᾶς εὐδαίμονος ἀμφὶ Κυράνας θέμεν σπουδὰν ἅπασαν.

Cognatum est verbum τολμᾶν quod iisdem significationibus occurrit in Homericis, nam *animum non despondere* est υ 20 ubi Ulixes se ipsum alloquitur σὺ δ' ἐτόλμαες ὄφρα σε μῆτις ἐξάγαγ' ἐξ ἄντροιο. Praecedit vs. 18 notum illud τέτλαθι δή κραδίη κτλ., Catullianum: *sed obstinata mente perfer, obdura*, Ov. Trist. V, 11, 7: *Perfer et obdura, multo graviora tulisti.* Cf. ω 162, 261.

Sustinere, audere est Κ 232:

αἰεὶ γάρ ϝοι ἐνὶ φρεσὶ θυμὸς ἐτόλμα.

Cf. Μ 51, Ρ 68, ι 332, θ 519.

Significatio verbi τολμᾶν apud seriores, qui non nisi sensu *a se impetrandi, sustinendi, audendi* utuntur, notior est quam ut exemplis illustranda videatur. Eos tantum locos tragicorum indicabo quibus primario sensu legitur.

AESCHYLUS quantum scio nusquam hoc verbum *ferendi et patiendi* significatione habet, neque SOPHOCLES, sed EURIPIDES usum Homericum servavit duobus locis Herc. f. 755: ἀντίποινα δ' ἐκτίνων τόλμα et Hec. 332 sq.:

αἰαῖ τὸ δοῦλον ὡς κακὸν πέφυκ' ἀεὶ
τολμᾷ θ' ἃ μὴ χρή, τῇ βίᾳ νικώμενον.

Apud PINDARUM ubi legitur est *audere*, *sustinere* Ol. II 75 (68), Pyth. V 117.

Νηλής, ὀλέθριος, ὀλοός.

In his adiectivis eadem discrepantia est inter HOMERUM et tragicos atque in praecedentibus. Nam in Homericis leguntur ea adiectiva sensu activo, apud tragicos sensu passivo.

Νηλής vel νηλεής apud HOMERUM is est qui οὐκ ἔχει ἔλεον, vel

ᾧ οὔτ' ἄρ φρένες εἰσὶν ἐναίσιμοι οὔτε νόημα
γναμπτὸν ἐνὶ στήθεσσι,

immisericors igitur; sic Aiax I 632 Achillem vocat νηλέα, quia eum non miseret calamitatum Danaorum. Item Π 33, 304. Hinc ad res tranfertur, praesertim ad gladium, caedis ministrum, in vulgatissima locutione νηλέι χαλκῷ. Extat praeterea in dictione νηλεὲς ἦμαρ ad *mortem* indicandam, Schol. ad Λ 484: τὴν χαλεπὴν ἡμέραν, τουτέστι τὸν θάνατον.

Apud SOPHOCLEM vero prorsus contrario sensu reperitur, nam duobus ubi legitur locis passive usurpatur de illo *cuius neminem misereat:* νηλέα δὲ γένεθλα πρὸς πέδῳ θαναταφόρα κεῖται ἀνοίκτως. Ant. 1197: νηλεὲς κυνοσπάρακτον σῶμα Πολυνείκους.

AESCHYLUS Homerum sequitur Prom. 41: ἀεί γε δὴ νηλὴς σὺ καὶ θράσους πλέως. Item in adverbio, Ibid 240: νηλεῶς ὧδ' ἐρρύθμισμαι Cf. Ch. 242.

Eodemmodo in EURIPIDIS Cycl. 368 et apud PINDARUM in Pyth. I 95, XI 22, fr. 177 (168), 5, quo postremo loco legitur forma νηλεεῖ, Homero incognita.

Ὀλέθριος duobus locis apud HOMERUM occurrit, coniunctum

cum voce ἦμαρ, ubi circumscriptio est ὀλέθρου, θανάτου, significat igitur *funestum*, *fatalem*, active, T 249 et 409.

Sophocles eodemmodo de *re* habet Ai. 797: ἔξοδον ὀλεθρίαν, Cf. O. C. 1683, Trach. 845.

Sed etiam passive apud eum legitur de homine, sensu *perditi*, Ai. 403: ἀλλά μ' ἁ Διὸς ἀλκίμα θεὸς ὀλέθριον αἰκίζει, i. e. *Iovigena Pallas*, *fortis dea*, *me ita nocet ut perditus fiam*, Cf. O. R. 1343, Trach. 878.

Aeschylus in hoc verbo quoque Homericam consuetudinem servat Sept. 198, 704; Ag. 1156, Ch. 679, 951, neque apud Euripidem locum invenire potui ubi aliter occurreret.

In Pindari scriptis adiectivum non extat.

Ὀλοός apud Homerum idem est quod ὀλέθριος, sic de Iove adhibetur υ 201: οὔτις σεῖο θεῶν ὀλοώτερος ἄλλος, de rebus quoque Γ 133 πόλεμος, I 305 λύσσα, N 629 πῦρ, χ 200 δεσμός, Π 701 ὀλοὰ φρονέων, *exitiosa* mente.

Sed in Sophoclis Electra vs. 844 passive usurpatur:

φεῦ δῆτ'· ὀλοὰ γὰρ ἐδάμη,

i. e. *mulier perdita pessumiit*, de Eriphyle dictum.

Miserrimam denotat Trach. 846: ἦ που ὀλοὰ στένει, nisi ὀλοά h. l. adverbialiter accipiendum sit et vertendum *infaustos clamores edit.*

Plerumque Aeschylus hoc vocabulo utitur ὁμηρικῶς, Prom. 554, Sept. 213, 768, 994 sq., sed est ubi *perditum* indicat, nempe Pers. 962: ὀλοοὺς ἀπέλειπον — ἔρροντας ἐπ' ἀκταῖς. Suppl. 842 pro σοῦσθε σοῦσθ' ὀλόμεναι ὀλόμεν' ἐπ' ἀμίδα (!) legitur ex coniectura Hermanni ὀλοαὶ μέγ' ἐπ' ἄμαλα (*navem*).

Perniciosus est in Euripidis Andr. 1212, Or. 1000, Hipp. 883, sed *perditum*, *devastatum* significat Troad. 849 sq.:

ἀμέρας φίλιον βροτοῖς
φέγγος ὀλοὸν εἶδε γαῖαν.

Pindarus hoc vocabulo non utitur.

Σφε et νιν.

Apud HOMERUM σφε nonnisi de duobus dicitur, item atque ἄμμε et ὔμμε, exceptis locis aliquot recentioribus aut corruptis; ad dualem autem numerum pertinere has formas non fugit veteres; vid. Eustath. ad ι 404, (p. 1636, 58): φανερῶς τὸ ἄμμε δυϊκὸν [ὂν] ἀντὶ πολλοῦ πλήθους λαμβάνει κατὰ διαφορίαν ἰωνικήν.

Locos huc pertinentes collegit et pluribus rem tractavit vir cl. van Leeuwen in Mnemos. 1885, pag. 400 sqq.

Legitur in Iliade σφε Λ 111:

καὶ γάρ σφε πάρος παρὰ νηυσὶ θοῇσι
ἔϝϝιδε κτλ.,

ubi locus est de *duobus* fratribus Iso et Antipho, praecedit etiam vs. 109: ἀπὸ τοῖιν ἐσύλαε τεύχεα καλά.

De pluribus adhibitum esse σφε Τ 265:

πολλὰ μάλ', ὅσσα διδοῦσιν ὅ τις σφ' ἀλίτηται ὀμόσσας,

non est cur putemus, nam licet intellegere σφι, ita ut dativus pendeat ex ὀμόσσας.

In Odyssea bis legitur σφε, idque de duobus θ 271:

ὅ σφ' ἐνόησε μιγαζομένω (vulgo μιγαζομένους) φιλότητι,

scil. Martem Veneremque.

φ 206: ἐξαῦτίς σφε ϝέπεσσιν ἀμειβόμενος προσέϝειπε,

scil. Eumaeum et Philoetium.

Homerico more tragici hac voce utuntur AESCH. Sept. 740, 788, 864, 1002; SOPH. Ai. 1389, O. R. 1505, O. C. 1669, Ant. 1226, EUR. Med. 781, 1062, 1240, 1249, 1338, 1365, 1367, 1400; Hel. 140. Sic Hesiodus quoque habet in Scut. Herc. vs. 62:

κόνις δέ σφ' ἀμφιδεδήει (l. ἀμφεδεδήει),

scil. Martem filiumque Cycnum.

PINDARUS nusquam de duobus adhibet.

Sed ille et tragici saepissime de pluribus usurpant, quin etiam tragoediarum poetae de uno homine dicunt, sic e. g. σφε idem est quod αὐτόν in SOPHOCLIS Ai. vs. 51: ἐγώ σφ' ἀπείργω,

scil. Aiacem, cf. 74, Ant. 44, El. 1396, Phil. 200. Eodemmodo apud Aeschylum legitur Prom. 9:

ἁμαρτίας σφε δεῖ θεοῖς δοῦναι δίκην,

scil. Prometheum Cf. Ag. 1642, Pers. 198, Sept. 630, Eum. 234.

Euripides hoc sensu usurpat Alc. 16: ἥ σφ' ἔτικτε μητέρα, nempe Admetum. Cf. 200, Andr. 1001, Or. 29, Ion. 45, Iph. T. 742. Apud Aristophanem in παρῳδίᾳ extat Eq. 1020:

πολλοὶ γάρ μίσει σφε κατακρώζουσι κολοιοί,

ubi σφε ad Paphlagonem spectat.

Σφε i. q. αὐτήν est apud Soph. Ant. 772:

μόρῳ δὲ ποίῳ καί σφε βουλεύει κτανεῖν;

nempe Antigonam. Cf. Trach. 878, 912, 1133.

Aesch. Eum. 610: εἴ σφε (Clytaemnestram) σὺν δίκῃ κατέκτανον.

Eur. Alc. 20: τῇδε γάρ σφ' ἐν ἡμέρᾳ θανεῖν πέπρωται, Cf. 107, Andr. 39, El. 27, Hel. 989, Med. 806.

De pluribus legitur σφε, i. q. αὐτούς Aesch. Suppl. 507, Eur. Hec. 260, Med. 393, Troad. 73, Pind. Pyth. V 85, Isthm. V (VI) 74.

Σφε i. q. αὐτάς extat in Eur. Bacch. 810:

βούλει σφ' ἐν ὄρεσι συγκαθημένας ἰδεῖν;

Postremo σφε pro neutro plur. αὐτά invenitur Pind. Pyth. V 39: τοῦ σφ' (= ἔντεα) ἔχει κυπαρίσσινον μέλαθρον.

Pro Homerico μιν i. e. αὐτόν, αὐτήν, αὐτό tragici doricam adhibent formam, nempe νιν, eamque prouti ferat sententia aut de uno aut de duobus aut de pluribus ponunt.

De *duabus* habet Sophocles, O. C. 1123: σὺ γάρ νιν ἐξέσωσας, Antigonam et Ismenam. Cf. 601, 577.

Pro αὐτούς dictum est O. R. 868: οὐδέ νιν (scil. νόμους) θνατὰ φύσις ἀνέρων ἔτικτεν.

Pro αὐτάς extat O. R. 1351: ἔπαισε δ' αὐτόχειρ νιν, nempe τὰς ὄψεις, Cf. O. C. 43.

Pro αὐτά usurpatur El. 436: κόνει κρύψον νιν (τὰ κτερίσματα), Cf. 624: σύ τοι λέγεις νιν (τὰ πολλά), οὐκ ἐγώ.

Apud Aeschylum νιν idem quod αὐτούς est Suppl. 729; μ'

τρέσητέ νιν, pro *αὐτά* autem occurrit Prom. 55: *βαλὼν νιν (τὰ ψέλια) ἀμφὶ χερσίν.*

In EURIPIDE habemus *νιν* i. q. *αὐτούς*, Hel. 1541: *ἰδὼν δέ νιν παρόντας Ἀτρέως γόνος*, Cf. Herc. f. 1182, Iph. T. 256, 330, 334, 1191; Phoen. 1168, Suppl. 758, 762, 1140.

Pro *αὐτάς* ponitur Bacch. 979: *ἴτε θοαὶ Λύσσης κύνες ἀνοιστρήσατέ νιν*, scil. puellas Thebanas Cf. 813.

Αὐτώ significat Med. 1312: *ποῦ γάρ νιν ἔκτειν', ἐντὸς ἢ ἔξωθεν δόμων*; ubi indicantur duo Medeae liberi.

Semel in PINDARI fragmentis legitur *νιν* pro plurali *αὐτούς*, scil. fr. 7 (2) apud Apollonium Dyscolum de Pron. p. 368 A: *ἔτι καὶ ἡ νὶν τάσσεται ἐπὶ πλήθους. ὅστις δὴ τρόπος ἐξεκύλισέ νιν.*

Quamquam pleraque iam vocabula tractavi quae poetae tragici et Pindarus ex Homero desumpserunt, plus tamen exhausto superesse probe scio, nam multo interiore familiaritate quam mihi tironi contigit cum graecis poetis consuescere debebit qui cuncta quae huc pertinent sit collecturus, collaturus, apte dispositurus, suo quaeque pretio aestimaturus. Quapropter despondens fere animi e manibus dimitto libellum; attamen est quadam tenus prodire si non datur ultra, et aliquos saltem fructus ex hoc studio percepturos esse alios, sperare mihi concessum duco; sin minus, ipsum me haud mediocriter profecisse dum his primitiis litterariis conscribendis incumbebam, id confido, immo certo scio.

THESES.

I.

Aesch. Pers. 732:

Βακτρίων δ' ἔρρει πανώλης δῆμος, οὐδέ τις γέρων.

Ultima tria vocabula legenda sunt: οὐδέν ἐστι σῶν.

Cf. ΟΥΔΕΤΙϹΓΕΡΩΝ et ΟΥΔΕΝΕϹΤΙϹΩΝ.

II.

Soph. Ai. 251:

τοίας ἐρέσσουσιν ἀπειλὰς δικρατεῖς Ἀτρεῖδαι
καθ' ἡμῶν.

Legendum est: τοίας ἀράσσουσιν ἀπειλὰς κτλ.

(Cf. ibid. 724 sq., Philoct. 374).

III.

Ibid. 798 sq.:

πάρεστ' ἐκεῖνος ἄρτι· τήνδε δ' ἔξοδον
ὀλεθρίαν Αἴαντος ἐλπίζει φέρειν.

Pro φέρειν legatur πέλειν.

IV.

Ibid. 932: οὐλίῳ σὺν πάθει.

Pro οὐλίῳ, quod nusquam alibi in tragoedia neque omnino apud Atticos occurrit, legendum propono: ἀθλίῳ.

V.

Ibid. 1357: νικᾷ γὰρ ἀρετή με τῆς ἔχθρας πολύ.
Pro vitioso vocabulo πολύ legatur πλέον.

VI.

Soph. Oed. R. 105: ἔξοιδ' ἀκούων· οὐ γὰρ εἰσεῖδόν γέ πω.
Ut tollatur sententiae ambiguitas, nam οὔ πω proprie significat *nondum*, legendum est: οὐ γὰρ εἰσεῖδόν γέ που, i. e. *fando audivi, nam nusquam eum vidi.*

VII.

Ibid. 322: οὔτ' ἔννομ' εἶπας οὔτε προσφιλῆ πόλει.
Legatur: οὔτ' ἔννο' εἶπας κτλ. Conferatur vs. 916.

VIII.

Ibid. 624: ὅταν προδείξῃς οἷόν ἐστι τὸ φθονεῖν.
Legendum est: ὦ τᾶν, προδείξεις οἷόν ἐστι τὸ φρονεῖν, quae verba ironice a Creonte dicta esse accipio.

IX.

Ibid. 1037: ὦ πρὸς θεῶν, πρὸς μητρὸς ἢ πατρός; φράσον.
Legatur: ὦ πρὸς θεῶν, πρὸς δὴ τίνος πατρός; φράσον.

X.

Soph. Oed. C. 84 sq.: εὖτε νῦν ἕδρας
πρώτων ἐφ' ὑμῶν τῆσδε γῆς ἔκαμψ' ἐγώ.
Versus alter legendus est:
πρώτιστ' ἐν ὑμῖν τῆσδε γῆς ἔψαυσ' ἐγώ.

XI.

Ibid. 306 sq.: ὥστε κεἰ βραδὺς
εὕδει, κλύων σοῦ δεῦρ' ἀφίξεται ταχύς.
Pro εὕδει legatur: πέλει.

XII.

Ibid. 466 sq.: θοῦ νῦν καθαρμὸν τῶνδε δαιμόνων, ἐφ' ἃς
τὸ πρῶτον ἵκου καὶ κατέστειψας πέδον.

Ultima verba legantur: καὶ κατάσπευσον πόδα.

XIII.

Ibid. 383 sq.: τοὺς δὲ σοὺς ὅποι θεοὶ
πόνους κατοικτιοῦσιν οὐκ ἔχω μαθεῖν.

Hi versus hunc in modum constituendi sunt:
τοὺς δὲ σοὺς ὅπως θεοὶ
πόνους κατορθώσουσιν οὐκ ἔχω μαθεῖν.

XIV.

Ibid. 524: ἀλλ' ἐς τί;

Legendum est: ἀλλ' ἐκ τοῦ; i. e. *sed a quo tibi calamitates illae immissae sunt?*

XV.

Ibid. 658: πολλαὶ δ' ἀπειλαὶ πολλὰ δὴ μάτην ἔπη
θυμῷ κατηπείλησαν.

Legatur: πολλοὶ δ' ἀπειλὰς πολλὰ καὶ μάτην ἔπη κτλ.

(Verba sequentia: ἀλλ' ὁ νοῦς ὅταν αὑτοῦ γένηται, φροῦδα τἀπειλήματα legenda esse tentavi: ἀλλὰ νοῦς ὅταν αὐτοῖς γένηται κτλ.)

XVI.

Ibid. 1389 sq.: τοιαῦτ' ἀρῶμαι καὶ καλῶ τὸ Ταρτάρου
στυγνὸν πατρῷον ἔρεβος.

Pro πατρῷον legendum est: λαθραῖον.

XVII.

Ibid. 1420: τί δ' αὖθις, ὦ παῖ, δεῖ σε θυμοῦσθαι;

Legatur: τί δῆθεν, ὦ παῖ κτλ.

XVIII.

Ibid. 1466: ἔπτηξα θυμόν· οὐρανία γὰρ ἀστραπὴ
φλέγει πάλιν.

Vox οὐρανία metro non convenit. Memorantur in editione Nauckiana variae coniecturae: οὐρία, ὀμβρία, αἰθρία, οὐρανόν, ὁρμένα, θουρία, αἰόλα. Submiror tamen propositam non esse lectionem οὐρανῷ. Est nimirum locativus, ut poetae latini dicunt *coelo* pro *in coelo*.

XIX.

Ibid 1632: δός μοι χερὸς σῆς πίστιν ἀρχαίαν τέκνοις.

Pro ἀρχαίαν legendum est ἰσχυράν.

XX.

Soph. Ant. 56 sq.: τὼ ταλαιπώρω μόρον
κοινὸν κατειργάσαντ' ἐπ' ἀλλήλοιν χεροῖν.

Legenda sunt ultima verba: κατειργάσαντο πολεμίοιν χεροῖν.

XXI.

Ibid 324 sq.: εἰ δὲ ταῦτα μὴ
φανεῖτέ μοι τοὺς δρῶντας, ἐξερεῖτ' ὅτι
τὰ δειλὰ κέρδη πημονὰς ἐργάζεται.

Pro ἐξερεῖτ' ὅτι legatur: εὑρήσεσθ' ὅτι.

XXII.

Ibid. 211 sq.: σοὶ ταῦτ' ἀρέσκει, παῖ Μενοικέως Κρέων,
τὸν τῇδε δύσνουν καὶ τὸν εὐμενῆ πόλει.

Tria prima verba legantur: σὺ ταῦτα ῥέξεις.

XXIII.

Ibid 1126: σὲ δ' ὑπὲρ διλόφου πέτρας στέροψ ὄπωπε λιγνύς.

Pro ὄπωπε legatur ὀπαδεῖ.

XXIV.

Ibid. 1241: *τέλη λαχὼν δείλαιος ἐν Ἅιδου δόμοις.*

In pede quarto pro pyrrhichio desideratur iambus, legendum igitur est: *ἐν κάτω δόμοις.*

XXV.

Soph. El. 22: *ἵν' οὐκέτ' ὀκνεῖν καιρός, ἀλλ' ἔργων ἀκμή.*

Versus 20 sq. spurios esse ostendit Nauckius, sed vs. 21 omisso non est unde pendeat vox *ἵνα*, quae coniungenda erat cum *ἐνταῦθα*, quare vs. 22 ita legere velim:

ἴθ', οὐκέτ' ὀκνεῖν καιρός, κτλ.

XXVI.

Ibid. 192: *κεναῖς δ' ἀμφίσταμαι τραπέζαις.*

Malim: *ἐφίσταμαι.*

XXVII.

Ibid. 635 sq.: *ὅπως λυτηρίους*
εὐχὰς ἀνάσχω δειμάτων ἃ νῦν ἔχω.

Pro *ἀνάσχω* legendum est *ἀνάξω*. Cf. Trach. 211: *παιᾶνα παιᾶν' ἀνάγετε.* Eur. Phoen. 1350: *ἀνάγετ' ἀνάγετε κωκυτόν.*

XXVIII.

Ibid 873: *φέρω γὰρ ἡδονάς τε κἀνάπαυλαν.*

Iure Nauckius observat vocabulum *ἡδονάς* h. l. ferri non posse propter vocem praecedentem (vs. 871) *ἡδονῆς*. Coniecit igitur ipse *ἔκλυσιν*, Heimsoethius *εὐδίαν*. Equidem legendum censeo *ἐλπίδας* quippe quod et sensui et vulgatae melius quadrat.

XXIX.

Ibid. 1086: *ὡς καὶ σὺ πάγκλαυτον αἰῶνα κοινὸν εἵλου.*

Legatur: *ὡς καὶ σὺ πάγκλειτον αἰῶνα καινὸν ἕλου.*

XXX.

Ibid. 1294 sq.: σήμαιν' ὅπου φανέντες ἢ κεκρυμμένοι
γελῶντας ἐχθροὺς παύσομεν τῇ νῦν ὁδῷ.
Legendum est: τῆς νῦν ὁδοῦ.

XXXI.

Soph. Trach. 169 sq.: τοιαῦτ' ἔφραζε πρὸς θεῶν εἱμαρμένα
τῶν Ἡρακλείων ἐκτελευτᾶσθαι πόνων.
Pro ἐκτελευτᾶσθαι legatur: ἐκλυθήσεσθαι.

XXXII.

Ibid. 836 sq.: δεινοτάτῳ μὲν ὕδρας προστετακὼς
φάσματι;
Non imbuitur Hercules *spectro* hydrae, sed *cruore viperino*, quare pro φάσματι legendum est: αἵματι.

XXXIII.

Soph. Phil. 236: τίς σ' ὦ τέκνον προσέσχε; τίς προσήγαγεν
χρεία;
Pro προσέσχε legatur: προύπεμψε.

XXXIV.

Ibid. 533 sq.: ἴωμεν, ὦ παῖ, προσκύσαντε τὴν ἔσω
ἄοικον εἰς οἴκησιν.
In his τὴν ἔσω sensu caret. Legendum est: γῆς πέδον.

XXXV.

Ibid. 628 sq.: οὐκ οὖν τάδ', ὦ παῖ, δεινά, τὸν Λαερτίου
ἔμ' ἐλπίσαι ποτ' ἂν λόγοισι μαλθακοῖς
δεῖξαι νεὼς ἄγοντ' ἐν Ἀργείοις μέσοις;.
Pro νεώς legatur λεώς.

XXXVI.

Ibid. 818: καὶ δὴ μεθίημ', εἴ τι δὴ πλέον φρονεῖς.
Nauckius: εἴ τι δὴ τόδ' ἔστ' ἄκος.
Schmidtius: εἴ τι δὴ πλέον πονεῖς.
Ego malim: εἴ τι δὴ παύλης φέρει.
Cf. vs. 1329: καὶ παῦλαν ἴσθι τῆσδε μή ποτ' ἂν τυχεῖν νόσου βαρείας. Trach. 1255: παῦλά τοι κακῶν αὕτη.

XXXVII.

Ibid. 872 sq.: οὐκ οὖν 'Ατρεῖδαι τοῦτ' ἔτλησαν εὐπετῶς οὕτως ἐνεγκεῖν, ἀγαθοὶ στρατηλάται.
Legatur: οὐ γὰρ ἂν 'Ατρεῖδαι κτλ.

XXXVIII.

Hor. Carm. II, 16, 18 sqq.:

Quid terras alio calentes
Sole mutamus? Patriae quis exsul
Se quoque fugit?

Recte vir doctus nescio quis apud Bentleium vs. 19 ita constituit:

Sole mutamus patria? Quis exsul etc. ita ut patria sit ablativus.

XXXIX.

Hor. Epod. II, 37:

Quis non malarum quas *amor* curas habet
Haec inter obliviscitur?

Luc. Müllerus in editione edidit: quas *ager* curas habet. Legendum est: *labor.*

XL.

Hor. Ep. I, 20, 24:

Corporis exigui, praecanum, solibus *aptum.*

Legatur: solibus *ustum.*

XLI.

Hor. Sat. I, 4, 36:

Et quodcumque semel chartis *illeverit.*

Legendum est: *illuserit.* Conferatur vs. 139 et. Catull. L, 2: Multum lusimus in meis tabellis.

XLII.

Hor. Sat. I, 10, 40 sqq.:

Arguta meretrice potes Davoque Chremeta
Eludente senem *comis garrire libellos*
Unus vivorum Fundani.

Finis vs. 41 sic legendus est: *comtis garrire libellis.* Sunt nimirum libelli „Sosiorum pumice mundi", Cf. Tibull. III, 1, 14: comtum opus.

XLIII.

Liv. I, 9, 1: sed penuria mulierum hominis aetatem duratura magnitudo erat.

Post „aetatem" inserendum est „tantum."

XLIV.

Liv. XXII, 16, 7: faces undique ex agris collectae fascesque virgarum atque aridi sarmenti praeliganturque cornibus boum.

Inter „sarmenti" et „praeliganturque" excidit verbum „acervantur."

XLV.

Liv. XXII, 19, 3: quadraginta navium classem Himilconi tradit, atque ita Carthagine profectus navibus prope terram exercitum in litore ducebat.

Inter „profectus" et „navibus" inseratur „vectus."

XLVI.

Tac. Ann. III, 28: *acriora* ex eo vincla etc.

Legendum est *artiora* s. *arctiora.*

XLVII.

Tac. Ann. III, 30: diversus a veterum instituto per cultum et munditias copiaque et affluentia luxu *propior*.

Legatur: *pronior*.

XLVIII.

Tac. Hist. II, 70: et erant, quos *varia sors* rerum lacrimaeque et misericordia subiret.

Legendum est: *varia sorte*.

XLIX.

Tac. Dial. de Or. Cap. III extr.: etiam si non novum tibi ipse negotium *importasses*.

Legendum est: *impertisses*.

L.

Tac. Dial. de Or. Cap. XIII med.: quod, cum cotidie aliquid rogentur, vel ii quibus *praestant* indignantur?

Legatur: *praesto sunt*.

LI.

Tac. Dial. de Or. Cap. XXXI ante med.: Ex his fontibus etiam illa profluunt, ut facilius iram iudicis vel instiget vel leniat, qui scit, quid ira, promptius ad misericordiam impellat, qui scit quid sit misericordia et quibus animi motibus *concitetur*.

Legatur: *concitentur*, ita ut „animi" nom. plur. sit.

LII.

Tac. Agr. Cap. I: sed apud priores ut agere digna memoratu *pronum* magisque in aperto erat etc.

Legendum est: *promtum*.

LIII.

Tac. Agr. Cap. V extr.: intravitque animum militaris gloriae cupido, ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes

interpretatio nec minus periculum ex magna fama quam ex mala.
Legatur: *interpretatione nec.*

LIV.

Tac. Agr. Cap. XXXIX in.: inerat conscientia derisui fuisse nuper falsum *e* Germania triumphum.
Legendum est: *de* Germania triumphum.

LV.

Tac. Agr. Cap. XLII s. fin.: Domitiani vero natura praeceps in iram, et quo obscurior, eo *inrevocabilior.*
Legatur: *inexorabilior.*

LVI.

Tac. Agr. Cap. XLV in.: Non vidit Agricola — tot nobilissimarum feminarum *exilia* et fugas.
Legendum est: *exitia.*


NOV 22



